

DISPUTATIO LI DE UBI

Post accidentia omnino intrinseca, censetur *ubi* aut locus proxime convenire substantiis vel quibuscumque rebus existentibus; unde etiam a philosophis moralibus numeratur circumstantia *ubi* inter eas quae humanis actibus accidere solent, sicut numeratur etiam *quando* et alia similia. Post aliorum ergo praedicamentorum considerationem, convenienti ordine sequitur haec disputatio de *ubi*, in qua non erit necessarium inquirere an sit, quia nihil est notius; sed tria sunt quae difficultatem praecipuam habent, quid, nimirum, *ubi* sit, et quomodo ad locum comparetur, et quibus rebus proprie conveniat hoc *ubi* praedicamentale, de quo agimus; ex quo etiam constabit quotuplex sit, et consequenter quomodo praedicamentum hoc sit coordinandum, ac tandem quae proprietates illi attribui possint.

SECTIO PRIMA

AN UBI SIT ALIQUID EXTRINSECUM VEL INTRINSECUM CORPORI QUOD ALICUBI ESSE DICITUR, ET QUIDNAM ILLUD SIT

1. Quamvis *ubi* non limitetur ad solas res quantas et corporeas, ut infra dicam, tamen, quia res corporales notiores nobis sunt, in eis rationem eius explicabimus, quam postea facile erit per proportionem [seu abstractionem]¹ ad res alias applicare. Quia vero in omni praedicamento accidentis tria possunt considerari, scilicet, abstractum, quod se habet ut forma, et subiectum, quod tali forma afficitur, et concretum seu compositum inde resultans, ut essentia huius praedicamenti exacte cognoscatur, haec omnia explicanda erunt. Et quod ad subiectum spectat, quoniam iam supposuimus locuturos nos de rebus corporeis, constat subiectum ipsius *ubi* esse ipsum corpus quantum, quod alicubi esse dicitur; explicandum ergo est quid sit illud abstractum, et forma seu quasi forma, a quo corpus dicitur hic vel illic esse, et quomodo ad subiectum ipsum comparetur et ab illo distinguatur, et ideo facile constabit quale sit concretum quod ex his coalescit.

Prima sententia refertur

2. In hac ergo re tres vel potius quatuor invenio sententias: Prima est *ubi* esse formam quamdam extrinsecum et extrinsece denominantem rem quae alicubi esse dicitur, nimirum superficiem ultima corporis continentis. Quae fundari potest primo, quia esse alicubi nihil aliud est quam esse in aliquo loco; ergo forma huius praedicamenti qua res ubicatur (liceat sic loqui ad rem declarandam), non est nisi locus quo circumscribitur vel continetur; sed locus est superficies ultima corporis continentis immobilis, teste Philosopho, lib. IV Phys., a principio; ergo forma ipsius *ubi* est locus; ergo huiusmodi *ubi* est quid extrinsecum et extrinsece denominans, nam locus seu superficies continens extrinsecum quid est et extrinsece denominans locatum.

3. Secundo, quia esse in loco continenti aliquod praedicatum reale est et accidentale; ergo pertinet ad aliquod praedicamentum accidentis; sed non pertinet ad praedicamentum quantitatis, ut supra dictum est, ergo pertinet ad praesens praedicamentum, quia non est aliud ad quod spectet; ergo forma huius praedicamenti non est nisi locus extrinsecus; locari autem et esse alicubi idem erit; et consequenter effectus formalis huius praedicamenti solum in denominatione seu adiacentia extrinseca consistit.

4. Tertio, nam eadem attributa vel differentiae attribuuntur loco et *ubi*, ut, verbi gratia, sursum aut deorsum; hae namque sunt differentiae loci, teste Aristotele, IV Phys., text. 27; si autem quaeratur ubi est res, recte respondetur esse sursum vel deorsum; ergo etiam sunt hae differentiae ipsius *ubi*; ergo signum est esse idem *ubi*, quantum ad formale et abstractum (sic enim loquimur), quod locus. Unde favet huic sententiae D. Thomas, quatenus in V Metaph.,

¹ [seu abstractionem], 1960; *alit. om.* "Las palabras entre corchetes no figura en la edición Vivès." Cf. BHF, v. VII, p. 278.

generatim docet omnia ultima praedicamenta esse extrinsece denominantia, quod nonnulli sequuntur. Et specialiter I, q. 110, a. 3, ait: *Mobile secundum locum non est in potentia ad aliquid intrinsecum, in quantum huiusmodi, sed solum ad aliquid extrinsecum, scilicet, ad locum*. Idem fere habet q. 6 de Potent., a. 3; et II cont. Gent., c. 13, expresse dicit: *Aliquando denominatur aliquid ab eo quod est extra ipsum, ut a loco dicitur esse aliquid alicubi*; ergo cum per motum localem acquiratur et amittatur ipsum *ubi*, aperte sentit D. Thomas formam ipsius *ubi* esse locum extrinsecum.

Secunda sententia refertur et difficultas eius ostenditur

5. Secunda sententia est *ubi* non esse ipsam formam extrinsecam seu superficiem ultimam continentem, sed esse quippiam intrinsecum passive relictum in locato ex circumscriptione loci. Unde iuxta hanc sententiam, quamvis *ubi* non constituatur formaliter per formam extrinsecam, requirit tamen illam quasi radicem vel fundamentum eius, nimirum, ut ex adiacentia eius ubicatio (non enim habemus aliud abstractum nomen) consurgat. Haec est sententia Gilberti Porret., in suo opusc. de Sex principiis, ubi sic definit: *Ubi est circumscriptio corporis ex circumscriptione loci proveniens*; unde inferius colligit non esse idem locum quod *ubi*; nam *locus* (ait) *in corpore continetur ambienti, ubi vero in corpore quod ambitur*. Et hanc sententiam sequuntur Soto et alii moderni; immo et Scotus, loco statim citando. Et omnes qui tenent locum esse de praedicamento quantitatis consequenter negabunt esse formam huius praedicamenti, atque ita non poterunt constituere hoc praedicamentum in aliqua denominatione extrinseca, quia praeter locum extrinsecum nihil fingi potest a quo sumatur.

6. Quod si ab auctoribus huius sententiae quaeratur quidnam sit illud intrinsecum quod relinquitur ex circumscriptione extrinseci loci, quidam respondent esse relationem quamdam corporis contenti ad locum continentem, quam explicamus per hanc denominationem, scilicet, esse contentum in loco, nam esse alicubi nihil aliud esse videtur quam aliquo loco contineri. Et haec opinio tribuitur Scoto, qui in universum ait haec sex ultima praedicamenta esse relationes extrinsecus advenientes. Quodl., 11, ait locum esse relationem continentis; unde e converso rationem huius praedicamenti videtur constituere in passiva relatione contenti ad continens, quod etiam sentit Ant. And., in lib. de Sex princip. Sed de hac sententia in communi iam supra dictum est. Et quidem, si in praesenti consurgit aliqua relatio realis locati ad locum, illa est praedicamentalis, sicut relatio propinquitatis et distantiae, et aliae relationes contactus vel unionis, nam aequae habet totum suum esse ad aliud, et aequae consurgit, positus proximo fundamento et termino, ut ex dicendis constabit. Item, alias relatio continentis quae est in loco esset extrinsecus adveniens; ergo constitueret distinctum praedicamentum, sicut relatio actionis vel passionis, iuxta eorum sententiam.

7. Alii, ut Soto, solum dicunt *ubi* non esse relationem nec locum, sed contineri in tali loco. Sed hoc nihil explicat, tum quia contineri in loco solum est denominatio extrinseca, vel, si est aliud, explicetur quid sit; tum quia denominatio, qualiscumque sit, est a loco ut a forma denominante; denominatio autem sumpta a forma ad illud praedicamentum reducitur ad quod ipsa forma, nam forma et effectus formalis eiusdem praedicamenti sunt. Addit vero Soto *ubi* praeterea includere tale esse in loco, quod explicari non potest sine relatione distantiae ad centrum vel polos mundi. Tamen neque ipse declarat quid illud sit, nec, si declarasset, dicere posset esse aliquid relictum ex circumscriptione extrinseci loci, ut ex sequentibus intelligitur.

8. Aliter ergo Albert. Mag., lib. de Sex princip., tract. III, c. 1, dicit imprimis circumscribi esse figurari quod continetur ad figuram continentis. Deinde distinguit triplicem circumscriptionem: prima est corporis continentis, quam dicit esse actionem quamdam; secunda est circumscriptio corporis contenti, quae est passio; tertia est commensuratio locati ad locum, quam dicit procedere ex duabus primis; et hanc dicit esse *ubi*, secundum quod est speciale praedicamentum, quia ad nullum aliud praedicamentum pertinet. Atque ita concludit *ubi* esse circumscriptionem non immediate proveniente a loco, sed ex circumscriptione passiva loci. Verum haec explicatio obscurior est quam res ipsa. Et primo, quantum ad id quod supponit, ut res circumscribatur a loco extrinseco, non oportet ut ab eo figuretur, nam interdum ita fit,

saepius vero e contrario, quia res omnes solidae quae sunt in aere vel aqua, et vel in alio simili corpore fluido, aut facile divisibili, potius conferunt figuram ipsi loco; aliquando vero neutrum figurat aliud, ut patet in caelis et in quibuscumque rebus solidis. Ad circumscriptionem ergo necessarium est ut corpus continens et contentum habeant proportionatam figuram; haec vero interdum supponitur, interdum causatur in altero corpore ex contactu alterius solidioris, sive sit locus, sive locatum. Deinde circumscriptio activa et passiva non sunt proprie actio et passio, sed potius se habent tamquam informatio extrinseca quasi activa et passiva. Denique commensuratio illa nihil apparet quod esse possit, praeter relationem aequalitatis aut mensurae; haec autem non potest constituere speciale praedicamentum, ut ex dictis constat. Haec ergo tota sententia difficillime potest explicari.

Tertia opinio, quod ubi sit spatium, tractatur et impugnatur

9. Tertia opinio est *ubi* nullo modo esse superficiem continentem aut aliquid ex illa relictum, sed esse spatium illud quod ipso corpore repletur quod alicubi esse dicitur. Ut verbi gratia, in vase intelligimus esse quoddam spatium interiectum inter latera vasis et comprehensum ac circumdatum ultima superficie convexa vasis, quod spatium vacuum esset, si aqua vel alio simili corpore non repleretur. Hoc ergo spatium dicit haec sententia esse ipsum *ubi*. Quae fuit vetus sententia philosophorum ante Aristotelem, quam post ipsum etiam aliqui secuti sunt, ut late refert Simplicius, IV Phys., ad c. 5, in digressionem de loco; et Avicenna, II Sufficien., c. 6; immo et Philoponus, IV Phys., illam sequi videtur. Fundamentum sumi potest primo ex impugnatione aliarum opinionum, quia *ubi* non requirit extrinsecum corpus circumstans, ut patet in ultima sphaera caelesti. Deinde, quia *ubi*, ut ipsum nomen prae se fert, est id in quo primo recipitur corpus quod alicubi esse dicitur; hoc autem non est nisi illud spatium. Quod patet primo, quia illud spatium est quod proxime et immediate ipso corpore repletur; ergo etiam corpus in illo proxime recipitur. Secundo, quia in toto illo spatio recipitur totum corpus, et in parte spatii pars corporis, et intimae partes corporis recipiuntur in interioribus partibus spatii, et ita, reliquae omnes cum proportione. Tertio, quia ex hoc immediate habet corpus quod sit hic potius quam alibi, et non ex corpore circumstante; nam, licet hoc varietur circa corpus alicubi existens, ipsum corpus circumdatum in eodem *ubi* semper manet.

10. Sed statim occurrit inquirendum in hac sententia quid sit hoc spatium; in quo explicando mire hallucinati sunt auctores eius. Quidam dixerunt, referente Simplicio, illud spatium esse corpus indivisibile et immateriale, in quibus verbis apparet repugnantia; sed forte intelligebatur esse indivisibile, non quia caret partibus, sed quia disiungi non possunt; immateriale vero vocabant, quia est penetrabile cum quolibet corpore; et similiter dicebant esse immobile, quia de ratione huius spatii est ut non sit in loco, nec moveatur loco, alias quaerendum esse aliud spatium eius. Sed haec sententia non solum repugnat rationi, sed etiam videtur esse contra fidem; nam oportet dicere hoc spatium esse aeternum, immo et increatum, quia non potest non esse infinitum spatium aptum repleri corporibus, et quia alias tale corpus, si esset creatum, posset annihilari, et tunc etiam intelligeretur ibi relinqui spatium vacuum. Praeterea in tali corpore necessario essent tres dimensiones reales; ergo et quantitas esset; esset ergo impenetrabile cum aliis corporibus; ergo non posset esse *ubi* receptivum aliorum, ut iam dicemus.

11. Fuit ergo illa vetus opinio, hoc spatium esse quantitatem solam, habentem suas dimensiones undique diffusas. Quam sententiam ex professo impugnat Aristoteles, in IV Phys., et est per se incredibilis, tum quia non possunt esse dimensiones quantitativae natura sua per se separatae ab omni substantia; tum etiam quia cum corpora quae constituuntur in loco habeant suas proprias dimensiones, non possunt simul esse penetrative cum tali spatio, ut constat ex superius dictis de quantitate. Hic etiam habet locum argumentum sumptum ex principiis fidei, quia vel illa quantitas est increata aut aeterna, et hoc est contra fidem, aut est creata simul cum aliis rebus, et sic praecognosci potest spatium in quo illa creata est quodque vacuum manere posset, si Deus illam annihilaret, et ita est impertinens illa quantitas.

12. Alii ergo probabilius dicunt illud spatium, prout intelligitur distinctum a corporibus replentibus illud, non esse aliquid reale positivum, sed esse vacuitatem quamdam ex se includentem carentiam corporis cum aptitudine ut illo repleatur, et hoc spatium sic declaratum dicunt esse id *ubi* corpus recipitur et ut sic constituere praedicamentum *ubi* vel esse proprium locum corporum. Quam opinionem probabilem censet Toletus, IV Phys., q. 3, et non posse demonstrative impugnari. Sed nihilominus sufficienter videtur posse convinci illud spatium, prout condistinctum a corpore continente et contento, revera esse nihil, quia neque est substantia, neque accidens, neque aliquid creatum aut temporale, sed aeternum. Et licet intelligatur per modum capacitatis, non tamen est capacitas realis et passiva, sed ex parte eius est sola non repugnantia, et potius ex parte corporum intelligitur aptitudo quaedam ad occupandum tale spatium. Ergo non potest illud spatium esse forma huius praedicamenti, neque omnino alicuius praedicamenti realis. Primo, quia non est forma realis. Secundo, quia secundum se ad summum concipitur per modum cuiusdam privationis; hoc autem praedicamentum non constituitur privatione, nam esse hic vel alibi non est privativum quid. Tertio, quia si fingamus divina virtute fieri vacuum spatium huius aulae, illud inane interiectum inter parietes in nullo praedicamento esset, quia nihil esset; ergo quando illud inane repletur corpore, non potest pertinere ad praedicamentum reale tamquam forma dans aliquod esse tali corpori.

Quarta sententia verisimilior

13. Est ergo quarta sententia quae affirmat id quod est formale in praedicamento *ubi* esse quemdam modum realem et intrinsecum illi rei quae alicubi esse dicitur, a quo habet talis res quod sit hic vel illic. Qui modus per se non pendet a corpore circumscribente neque ab aliquo alio extrinseco, sed solum materialiter a corpore quod alicubi est, effective autem ab ea causa quae tale corpus ibi constituit vel conservat. Unde fit ut talis modus non ponatur esse mera relatio praedicamentalis, quia nullum habet realem terminum quem respiciat aut a quo pendeat, sed esse quid absolutum, quamvis a nobis non possit explicari nisi per modum fundamenti aliquarum relationum distantiae vel propinquitatis, et ideo dicatur esse relativum secundum dici. Et probabile etiam est includere transcendentalem habitudinem ad tale spatium, nam transcendentalis habitudo non semper postulat positivum terminum realem. Denique hic modus in re ipsa distinctus ponitur a subiecto, quia potest subiectum sine illo manere et illum de novo acquirere, et ideo necessaria est saltem distinctio modalis; non vero ponitur maior, quia non est ulla ratio quae maiorem distinctionem indicet; et alioqui intelligi non potest talis modus sine aliquo subiecto quod alicubi sit. Atque haec sententia videtur mihi proxime ad veritatem accedere; ut tamen res tota comprehendatur, paulatim explicanda est.

Prima assertio

14. *In quolibet corpore est modus quidam ab ipso distinctus quo in loco constituitur.*— Dico ergo primo esse in quolibet corpore proprium quemdam modum intrinsecum, ex natura rei distinctum a substantia, quantitate et aliis accidentibus corporis, a quo modo essendi formaliter habet unumquodque corpus esse praesens localiter alicubi seu ibi ubi esse dicitur. Probatur, quia, cum corpus dicitur esse hic vel illic, his vocibus significatur aliquid reale conveniens tali corpori, tum quia a parte rei id est verum sine ulla mentis fictione, tum etiam quia illud potest acquiri et amitti per mutationem realem; motus enim localis realis mutatio est, et tamen per illum non amittitur nec acquiritur nisi esse hic vel illic; tum etiam quia hoc ipsum esse hic vel illic est conditio necessaria ad actiones reales vel passiones et censetur esse fundamentum relationum realium.

15. Rursus hoc ipsum reale, quod his vocibus subest *esse hic vel illic*, non est aliquid mere extrinsecum illi corpori quod hic vel ibi esse dicitur, neque in sola denominatione extrinseca consistere potest. Quod patet, primo, quia per mutationem solius denominationis extrinsecae non mutatur res realiter, nam etiam in Deo variatur denominatio extrinseca qua dicitur esse in hac vel illa creatura, et tamen non propterea Deus mutatur; sed corpus si nunc sit hic et postea alibi, intrinsece et realiter mutatur; ergo non variatur in illo sola denominatio extrinseca, sed aliquid intrinsece in ipso existens; illud ergo significari dicimus illis vocibus esse

hic vel illic. Secundo, quia si esset aliquid extrinsecum, maxime esset corpus circumdans seu superficies eius ultima; sed hoc non; ergo. Probatur minor, quia, licet varietur corpus circumdans, nihilominus corpus ibidem manet ubi antea erat, nec per illam variationem corporum aut superficierum circumdantium mutatur realiter corpus circumdatum, ut patet de arbore aut saxo existente in flumine. Et e converso res quae erat hic, alibi constituitur, etiamsi eadem superficie eiusdem corporis circumstantis circumscribatur, ut patet in homine qui in navi defertur; ergo illud in quo intrinsece consistit esse hic vel alibi non est sola illa denominatio extrinsece proveniens a corpore circumscribente. Nam si mutatur circumscriptio et manet idem *esse hic*, ergo aliquid aliud est hoc esse hic quam extrinseca circumscriptio, nam, si essent idem, non posset unum amitti et aliud retineri, ut ex principiis positis de distinctionibus rerum in disp. VII constat. Relinquitur ergo hunc modum esse intrinsecum corpori alicubi existenti, id est, in ipso existentem et afficientem illud per veram unionem vel identitatem cum illo.

16. Ex quo etiam facile probatur hunc modum esse distinctum ex natura rei a subiecto, quantitate et caeteris accidentibus eius, quia hic modus potest acquiri et perdi, nulla alia mutatione facta in subiecto, neque in quantitate aut caeteris qualitatibus eius. Nam per mutationem localem acquiritur hic modus et amittitur alius eiusdem ordinis, non facta mutatione in aliqua alia re, per se loquendo; ergo ex eodem signo recte concluditur distinctio ex natura rei, saltem modalis; impossibile est enim intelligere mutationem realem in aliquo fieri, quin per eam aliquid reale acquirat, si sit mutatio positiva, vel amittat, si sit privativa; mutatio autem localis, quia in corporibus semper est ex uno termino positivo in alium, utrumque necessario includit; id autem quod de novo et realiter acquiritur mobili, non potest non esse saltem modaliter distinctum ab iis quae antea habebat.

17. Quod vero formalis effectus huius praesentiae seu modi sit constituere suum subiectum hic vel illic, facile etiam probatur ex dictis, quia, quamdiu res conservat in se hunc modum praesentiae, semper ibidem manet ubi prius erat, etiamsi vel aliae mutantur circa ipsam, ut declaratum est exemplo arboris existentis in flumine, vel ipsummet in aliis accidentibus mutetur, ut in calore aut colore et similibus. Et e converso, mutato hoc modo praesentiae, desinit res ibi esse *ubi* antea erat, etiamsi nulla alia mutatio fiat, nec in inhaerentibus nec in adiacentibus rebus, ut etiam declaratum est exemplo hominis qui in navi defertur; ergo signum est proprium effectum formalem talis modi praesentiae esse alicubi constituere rem cuius est modus. Secundo, quia per motum localem per se primo acquiritur vel amittitur hic modus praesentiae, ut declaratum est et amplius constabit ex dicendis. Sed quod per mutationem localem primo acquiritur vel amittitur est esse hic vel illic, ut per se satis constat et ex doctrina Philosophi, V Phys.; ergo hic modus est quo formaliter constituitur res alicubi.

Secunda assertio

18. *Quomodo se habeat ubi ad corpus ambiens.*— Dico secundo: hic modus praesentiae non solum non provenit formaliter ab extrinseco corpore vel superficie ambiente, verum etiam nullo modo ex circumscriptione illius resultat nec per se illam requirit, quamvis ob naturalem ordinem corporum universi nunquam sit sine illa, praeterquam in ultima sphaera caelesti. Prima pars huius assertionis est evidens ex praecedenti, quia hic modus praesentiae est intrinsecus rei cuius est modus; ergo non potest superficies extrinseca esse causa formalis eius. Patet consequentia, tum quia superficies continens solum extrinsece adiacet corpori contento et ideo ut sic non potest habere effectum formalem intrinsecum, tum etiam quia hic modus est quaedam forma afficiens suum subiectum; ergo non indiget alia forma.

19. Quod vero in nullo etiam genere causae resultet hic modus praesentiae ex circumscriptione corporis ambientis, probatur discurrendo per singula genera causarum. Et quoniam de materiali et finali res est clara, de efficienti probatur, quia, per se loquendo et ex vi circumscriptionis, corpus continens nullam efficientiam habet in contento; aut enim efficeret per superficiem ut sic, et haec non est activa; aut per qualitates aliquas, et hae sunt per accidens ad rationem continentis et contenti, nam hoc modo saepe accidere potest ut, e converso, contentum agat in continens; aliquando vero potest nulla esse talis actio ob aequalitatem resistentiae vel incapacitatem passi. Dices argumentum recte probare de propria efficientia, non vero de aliqua

resultantia. Sed hoc eadem ratione refellitur, tum quia propria resultantia non est sine aliquo modo efficientiae; tum etiam quia neque talis resultantia esse potest ex qualitatibus, nam, ut dixi, sunt per accidens ad rationem contenti et continentis, et praeterea ad agendum supponunt praesentiam vel propinquitatem, non causant illam, nisi fortasse quaedam qualitates quae specialiter sunt virtutes motivae, quae tamen non habent efficientiam propter circumscriptionem, sed propter tractionem aliquam vel impulsam. Rursus nec resultantia illa potest esse ex sola superficie circumscribente ut sic, quia illa nullo modo est activa, et praesertim in extrinsecum subiectum. Et declarari praeterea potest, quia resultantia naturalis modi intrinseci semper est ab aliqua forma dante subiecto vel composito aliquod esse intrinsecum; sed superficies continens nullum esse reale confert corpori contento; ergo non potest ab illa physice resultare hic modus intrinsecus. Et ita simul probatum manet non resultare hunc modum ex circumscriptione loci extrinseci in genere causae formalis, quia nec resultat immediate ut proprius effectus formalis, ut in praecedenti parte probatum est, neque secundario ac mediate, quia non intercedit aliquis alius effectus immediatus quo mediante possit resultare.

20. Tandem hinc etiam probata manet tertia pars conclusionis, nimirum, quod hic modus praesentiae per se non pendet ex circumscriptione loci extrinseci, quia in nullo genere causae inde resultat; ergo non est cur pendeat ab illa. Dices pendere tamquam a necessario termino, ad quem ille modus dicit habitudinem; et eodem modo posset dici inde resultare, sicut relatio dicitur resultare ex fundamento et termino. Sed contra hoc est, primo, quia hic modus praesentiae nec est relatio praedicamentalis, nec est realis et physica unio corporis circumscripti ad continens; ergo nulla ratione potest pendere ab illo ut a termino. Consequentia patet ex sufficienti partium enumeratione; nec enim excogitari potest alius modus termini qui ad praesens possit accommodari. Minor etiam per se est satis nota, quia solus contactus intercedit inter corpus continens et contentum; contactus autem non est vera unio. Maior autem superius probata est contra Scotum, et declaratur amplius, nam, licet inter corpus continens et contentum insurgat relatio realis praedicamentalis, vel propinquitatis, vel contactus, vel continentis et contenti, aut quocumque alio nomine vocetur, tamen modus praesentiae non consistit in illa relatione, quin potius supponitur ad illam ut proximum fundamentum. Quod patet, nam fieri potest ut praexistat corpus cum superficie apta ad circumscribendum aliud corpus, et quod illud aliud corpus etiam sit in rerum natura, et inter ea non insurgat relatio [continentis et]² contenti donec huiusmodi corpus moveatur et acquirat talem praesentiam, qua acquisita, statim insurgit praedicta relatio; non est ergo talis praesentia praedicamentalis relatio, neque ea de causa pendet ex corpore circumscribente.

21. *Sphaera ultima caelestis ut sit in loco.*— Praeterea probatur haec pars exemplo ultimae sphaerae caelestis, quo confirmantur omnia quae diximus, nam illud corpus habet veram et realem praesentiam ibi *ubi* est, et tamen non habet aliud corpus quo circumscribatur; agimus enim de caelo empyreo, quo nullum est superius; ergo hic modus praesentiae per se non requirit superficiem circumscribentem neque ab ea pendet. Maior videtur ex terminis per se nota; quomodo enim intelligi potest corpus propinquum alteri et contingens illud, nisi quatenus habens realem praesentiam iuxta illud? Sic autem est illud caelum iuxta primum mobile. Quod vero etiam in illo primo caelo sit illa praesentia modus ex natura rei distinctus ab illo, probatur quia est separabilis ab illo corpore, ipso manente in rerum natura; posset enim Deus caelum illud in alium locum transferre, vel secundum partes movendo illud circulariter, quod nobis satis est, vel etiam secundum se totum transferendo illud, verbi gratia, infra primum mobile; quis enim audeat haec negare divinae potentiae? Simile argumentum est quia posset Deus annihilare caelum supremum, conservato proximo caelo *ubi* nunc est; retineret ergo tunc eundem modum praesentiae sine corpore circumscribente; ergo per se et intrinsece non pendet ab illo. Denique posset Deus movere localiter corpus per vacuum, ut nunc suppono, quia nulla potest ostendi implicatio contradictionis; ergo tunc acquireret corpus modum praesentiae sine superficie circumscribente; non est ergo inter haec intrinseca et per se dependentia. Quod ergo naturaliter

² [continentis et], 1960. "Las palabras entre corchetes faltan en algunas ediciones, entre ellas la Vivès." Cf. BHF, v. VII, p. 290.

nunquam separentur in corporibus infra supremum caelum contentis, provenit ex naturali ordine universi, quod ita constitutum est ut naturaliter non possit in eo dari vacuum; unde fit ut nunquam aliquod corpus acquirat intrinsecam praesentiam localem, quin simul terminetur extrinsece aliqua superficie ultima corporis ambientis. Non quia intrinseca ratio talis praesentiae vel mutationis qua illa acquiritur hoc per se postulet, sed quia semper unum corpus est contiguum alteri ex ordine universi absque ullo spatio vacuo³ interiecto.

Tertia assertio

22. *Quid sit concretum et abstractum praedicamenti ubi.*— Dico tertio: hic modus praesentiae, qui intrinsece convenit corpori alicubi existenti, est formale seu abstractum praedicamenti *ubi*, cuius subiectum est ipsum corpus quod tali modo afficitur; concretum autem erit totum compositum ex corpore et tali modo, quod non habet proprium nomen impositum, sed per adverbium significari solet, cum dicitur corpus hic vel illic existere. Prima pars conclusionis, ex qua caeterae necessario consequuntur, probatur primo quia hic modus aliquod accidens est in corporibus et non pertinet ad alia praedicamenta; ergo constituit hoc praedicamentum *ubi*. Maior probatur, quia ille modus praesentiae est distinctus ex natura rei a corpore cuius est modus, et in illo adest et abest per accidentalem mutationem; ergo est verum accidens corporis. Minor vero facile probari potest discurrendo per caetera praedicamenta accidentum. Secundo, quia teste Aristotele, V Phys., ad tria tantum praedicamenta est per se motus, et unum illorum est *ubi*, ad quod tendit motus localis; sed motus localis per se primo tendit ad hunc modum praesentiae corporis in spatio; ergo hic modus est qui formaliter constituit praedicamentum *ubi*. Tertio, a sufficienti partium enumeratione haec assertio satis probatur, nam refutatis aliis sententiis, nihil aliud superesse videtur quod possit praedicamentum *ubi* constituere.

Secunda et tertia sententia iterum refutantur

23. Et quidem de secunda et tertia opinione nihil fere superest addendum. Nam secunda satis improbata est; nihil enim reale et intrinsecum intelligi potest resultare in corpore circumscripto ex circumscriptione alterius, per se loquendo et ex vi illius, quod possit habere rationem *ubi*, ut satis fuse demonstratum est. Neque illa sententia aliquod habet fundamentum cui satisfacere necesse sit. Praeterea, contra tertiam sententiam satis etiam demonstratum est *ubi* non posse esse rem aliquam veram et realiter distinctam a corporibus, quae sit spatium in quo ipsa corpora recipiuntur; nam reale spatium et realem dimensionem habens non est res distincta a corpore quod, nostro modo intelligendi, replet spatium quod de se esset vacuum et nihil. Nec vero possunt nostrae sententiae obstare ea quae contra illam tertiam adduximus; fatemur enim spatium hoc, prout a corporibus condistinguitur, non esse aliquid creatum, quia non est aliquid reale, sed potius vacuitas quaedam; hoc tamen non obstat quominus corpus possit habere realem modum existendi et occupandi tale spatium, quia ille modus non consistit in aliqua relatione reali ad ipsum spatium aut in unione vel contactu, ratione cuius spatium dicatur recipere aut continere corpus ibi existens, nam haec omnia requirunt realitatem in altero extremo. Sed consistit ille modus solum in reali praesentia quantitativa ipsius corporis, ratione cuius fit ut, ubi est praesens tale corpus, ibi sit spatium reale, cum sine illo nihil esset; unde ad hunc realem modum non solum non obstat ut illud spatium de se non sit aliquid reale, verum potius est necessarium.

24. Addunt vero aliqui auctores graves⁴ hoc spatium, licet reale non sit, non tamen esse quid fictum per operationem intellectus, sed aliquid verum, aeternum et immutabile, quia in eo vera intelligitur capacitas ad recipienda corpora et extensionem eorum. Sed difficile est explicare, cum verum et ens convertantur, cur appelletur hoc spatium verum potius quam reale quid. Item, si ens reale non est, quale ens esse potest nisi rationis, cum inter haec non sit medium? Itaque, quatenus hoc spatium apprehenditur per modum entis positivi distincti a corporibus, mihi videtur esse ens rationis, non tamen gratis fictum opere intellectus, sicut entia impossibilia, sed sumpto fundamento ex ipsis corporibus, quatenus sua extensione apta sunt constituere spatia realia, non solum quae nunc sunt, sed in infinitum Ubi extra caelum, prout

³ vacuo, 1960; *alit. om.* “Algunas ediciones omiten este *vacuo*.” Cf. BHF, v. VII, p. 291.

⁴ Fonseca, lib. V Metaph., c. 5, q. 1, sect. 1; Conimbr., lib. VIII Phys., c. 10, q. 1, a. 4.

supra etiam, in disp. XXXI, dictum est, tractando de Dei immensitate. etiam annotavimus, cum corpus dicitur esse in spatio imaginario, illud *esse in* sumendum esse intransitive, quia non significat esse in alio, sed esse ibi ubi, secluso corpore, nos concipimus spatium vacuum, et ideo hoc *esse ibi* revera est modus realis corporis, etiamsi ipsum spatium ut vacuum vel imaginarium nihil sit.

Censura primae opinionis

25. *Per localem motum ut dicant graves viri nihil deperdi aut acquiri.*— Circa primam vero opinionem, aliquid est in quo nostrae sententiae contradicit et in eo illam non probamus; alia vero duo sunt quae nobis non sunt contraria et per se habent dubitationem. Primum illud est quod ratio praedicamenti *ubi* consistat in sola extrinseca denominatione, cuius oppositum satis, ut existimo, a nobis demonstratum est. Neque contra hanc partem affertur ibi aliqua ratio. Nam illa generalis sententia quod omnia sex praedicamenta ultima sunt extrinsecae denominationes non potest universaliter sustineri, ut supra visum est. Cum vero a S. Thoma vel alio auctore gravi dicitur per motum localem non acquiri aut perdi rem intrinsecam, sed extrinsecam, interpretandum id est de re distincta realiter a mobili, qualis in alteratione et augmentatione acquiri solet, nam illam differentiam intendunt constituere inter motum localem et alios motus. Quam sumpserunt ex Aristotele, VIII Phys., ubi inquit: *Quod movetur, minime omnium motionum latione ab essentia abscedit; hac enim sola nihil quod insit mutatur.* Quomodo autem hoc intelligendum sit, declarat, dicens: *Quomodo eius quod alteratur, qualitas, eius quod augecit et decrescit, quantitas.* Itaque nulla propria et realis forma amittitur vel acquiritur per motum localem; modus autem aliquis intrinsecus non potest non variari, alias non esset vera mutatio, ut ostensum est. Adde quod motus localis corporis ex sententia omnium est subiective in ipso mobili, quod fere ad sensum etiam patet; motus autem localis, sicut et omnis alius, non est nisi via ad suum intrinsecum terminum; ergo etiam intrinsecus terminus talis motus est in ipsomet mobili, quia via et terminus non possunt esse res omnino distinctae, et consequenter neque in subiectis distinctis; sed terminus motus localis est ipsum *ubi*; ergo.

SECTIO II

AN UBI SIT LOCUS CORPORIS, ITA UT PER ILLUD SOLUM VERE DICI POSSIT ESSE IN LOCO

1. Duo vero adhuc dubia oriuntur ex fundamentis illius primae sententiae. Primum est an *ubi*, prout a nobis est explicatum, sit locus corporis, vel praeter illud detur locus qui sit aliquid extrinsecum⁵ locato.

Prima sententia affirmans

2. Nam ex dictis videtur sequi pars affirmans, primo, quia per motum localem per se primo comparatur locus; sed non comparatur nisi *ubi* seu locus ille intrinsecus, ut declaratum est; ergo. Secundo, quia adverbialia localia supponunt locum et ex eo sumpta sunt; sed sumuntur praecise ex *ubi*, nam, sicut ab ipso *ubi* in communi habet res quod sit alicubi, ita ab hoc vel illo *ubi*, quod sit hic vel illic, quae sunt adverbialia localia. Tertio, quia ultima sphaera est in loco, nam repugnat corpus esse et non in aliquo loco; sed in illa nullum est extrinsecum corpus quod possit esse locus eius; ergo est in loco tantum ratione sui *ubi*; ergo *ubi* est locus. Quarto, quia alias, praeter *ubi*, daretur locus; ergo oporteret novum praedicamentum propter illum constituere, quia non pertinet ad quantitatem, ut supra vidimus; ergo si a praedicamento *ubi* etiam excluditur, oportet ut proprium praedicamentum constituat, quia negari non potest quin locus sit unum ex accidentibus rei. Et hanc partem docere voluerunt Philoponus et alii, cum dixerunt spatium esse locum, quamvis non satis neque convenienter rem explicaverint. Argumenta vero, quibus utuntur, ad hoc praecipue tendunt ut locus non consistat in aliquo extrinseco, ut in superficie vel corpore continente; secluso autem extrinseco, nihil relinquitur quod esse possit locus praeter *ubi*.

⁵ extrinsecum, 1960; *alit.* intrinsecum. “Nos parece que *intrinsecum*, que aparece en algunas ediciones no responde al pensamiento de Suárez.” Cf. BHF, v. VII, p. 295.

Secunda opinio negans

3. In contrarium vero est primo ac praecipue Aristoteles, IV Phys., ubi, post longam disputationem per quinque prima capita, concludit locum *esse extremam superficiem corporis continentis immobilem*. Secundo, proprietates, quae communiter tribuuntur loco, non possunt ad ipsum *ubi* accommodari, ut continere locatum et circumscribere illud, esse aequalem illi, si sit proprius locus et non communis, item repleri locato; haec enim et similia non possunt dici de *ubi* ratione illius modi intrinseci quem explicuimus. Immo ex illis proprietatibus colligitur locum debere esse rem discontinuam a locato, ut illum circumdet; ideo enim una pars continui non est locus alterius, quia continua sunt. Similiter locus dividi solet in naturalem et violentum, salubrem et infirmum, quae non possunt ullo modo adaptari ad illum modum intrinsecum a nobis expositum. Propter hanc ergo causam, et praecipue propter auctoritatem Aristotelis, haec posterior sententia communior est, et fere expositorum omnium in IV Phys., quamquam in modo exponendi quomodo superficies sit locus et quomodo sit immobilis, sit varietas inter illos.

Resolutio et concordia quaedam dictarum opinionum

4. *Loci nomen cui impositum.*— Ego vero existimo multa in huiusmodi quaestione involvi, quae solum spectant ad modum loquendi, si in his quae de *ubi* et de illo modo intrinseco diximus, conveniamus. Hoc enim posito, duo sunt in re certa. Primum est dari in corporibus in loco existentibus modum intrinsecum, ratione cuius terminare possunt motum localem. Secundum est, praeter hunc intrinsecum modum, dari regulariter in corporibus extrinsecam circumscriptionem unius corporis ab alio sibi propinquo et contiguo; id enim est evidens ad sensum. His ergo duobus existentibus certis, solum de nomine videtur superesse quaestio, quod istorum nomen loci mereatur; ideoque in illo communiori modo loquendi et sentiendi sapientium adhaerendum est. Sunt tamen qui, ad vitandam vocum controversiam, distinctione utantur non improbabili de loco intrinseco et extrinseco, dicantque *ubi* esse locum intrinsecum, superficiem vero continentem esse locum extrinsecum. Quam distinctionem late refert et declarat Toletus, IV Phys., q. 8, et valde probabilem reputat. Et argumenta, quae fecimus in utramque partem, eam suadere videntur. Si tamen simpliciter loquendum est, magis videtur nomen loci impositum loco extrinseco et continenti, et ideo Aristoteles simpliciter de illo sub nomine loci locutus est. Nam revera esse in aliquo tamquam in loco in proprietate significare videtur habitudinem ad alium distinctum et continentem rem locatam.

5. Unde, secluso corpore circumscribente, non tam proprie videtur posse dici corpus esse in aliquo tamquam in loco, quia nec in spatio imaginario est ut in loco, cum illud spatium nihil rei sit, et nomine loci omnes intelligant aliquid reale; neque etiam est in spatio reali intrinseco ut in loco, nam potius ipsum corpus est tale spatium intrinsecum, saltem realiter; neque etiam dicitur proprie esse tamquam in loco in illo modo intrinseco quem nos declaravimus, quia neque ille modus se habet ut receptaculum locati, quae habitudo significatur illo verbo *esse in loco*, neque ita afficit subiectum ille modus ut aliqua alia ratione se habeat ut id in quo est subiectum, et non potius ut in illo existens. Si ergo esse in loco in proprietate locutionis dicit habitudinem ad rem continentem et distinctam, proprie locus non dicitur de ipso *ubi*, sed de extrinseco loco, vel proprio, vel communi aut remoto, quomodo dicitur aqua esse in vase, vel in domo, vel in mundo.

6. *Locus in mathematicum et physicum qualiter dividatur.*— Qui etiam locus sic proprius dividi solet in mathematicum et physicum, ut prior sit quaelibet superficies ultima continens, posterior vero sit superficies immobilis; ita enim illum definivit Aristoteles, IV Phys., quae immobilitas intelligi non potest in una et eadem numero superficie reali, nulla enim est quae mobilis non sit ad motum sui corporis; sed necessario intelligenda est per habitudinem vel immutabilem distantiam ad centrum et polos mundi, quatenus de facto fixi termini sunt et immobiles. De possibili vero (quia totus simul mundus posset a Deo localiter moveri) oportet, nostro modo concipiendi, recurrere ad spatium imaginarium; in quo sicut concipimus extensionem, ita et puncta, et lineas, et superficies fixas et immobiles, et secundum hanc considerationem explicanda est immobilitas illa per ordinem ad superficiem vel fixos terminos spatii imaginarii; de qua re latius in IV Phys. disseritur.

Respondetur ad argumenta priori loco posita

7. Ad argumenta ergo priori loco posita consequenter dicendum est, ad primum, per motum localem per se primo non acquiri locum, sed ubi; naturaliter vero semper acquiri locum extrinsecum consequenter. Et ex hac naturali concomitantia ortum est ut indifferenter in vulgari modo loquendi dicatur per motum localem acquiri locum vel *ubi*. Et ex eadem radice ortum est ut adverbialia localia non solum ex loco extrinseco, sed etiam ex intrinseco *ubi* sumantur, nam locus extrinsecus notior est, et ex illo frequentius sumuntur hae denominationes, et saepius ex communi loco, ut cum dicimus aliquem esse domi aut in platea, etc. Interdum vero hae denominationes, quae fiunt per adverbialia localia, sumuntur praecise ex ubi intrinseco, nimirum, quando non connotant respectum ad aliud corpus circumstans, sed tantum indicant praesentiam, ut esse hic aut illic, quae vocantur adverbialia localia propter coniunctionem alicuius loci; proprie vero dici possent adverbialia praesentialitatis vel absentiae. Atque ita satis responsum est ad primum et secundum argumentum.

8. In tertio vero insinuat quaestio satis communis de loco ultimae sphaerae, quae late tractatur in IV Phys., ab Aristotele et interpretibus, et nunc nostra nihil refert, nam certum putamus habere suum *ubi* intrinsecum, ut supra ostensum est. Constat item non habere locum extrinsecum quo contineatur ex parte superficiei convexae, quia nullum est superius corpus quo circumdetur. Unde consequenter, iuxta praedictum loquendi modum quem defendimus, dicendum erit illam non esse actu⁶ in loco saltem ex ea parte, sed solum in potentia, quia posset circumscribi superiori corpore.

Locus quo praedicamento constituitur

9. In quarto argumento petitur secunda dubitatio quam diximus hic oriri ex superius dictis et habet locum in utraque sententia. Nam, sive *ubi* vocemus locum, et superficiem extrinsecum circumscribentem non vocemus locum, sed solum vas aut continens, sive, e converso, superficiem continentem vocemus locum, et non ipsum *ubi*, sive utrumque vocemus locum, alterum intrinsecum et alterum extrinsecum, certum videtur haec duo habere rationes afficiendi seu denominandi primo diversas. Unde mihi verum videtur locum extrinsecum ut sic non pertinere ad hoc praedicamentum *ubi* proprie et directe, quia neque intrinsece et essentialiter est *ubi*, neque est de ratione eius, ut ostensum est. Neque etiam habet cum illo essentialem convenientiam, immo neque univocam in ratione accidentis, nam *ubi* est verum accidens intrinsece afficiens ac denominans nam, licet fortasse non sit proprium nomen impositum in concreto significans hanc denominationem, sed per adverbialia frequentius significari soleat, tamen in re modus ille vere afficit subiectum et suum concretum constituit, quod (si licet verba imponere) potest dici ubicatum; et cum res dicitur praesens localiter, etiam haec denominatio sumpta est ex *ubi* intrinseco, unde hoc habet propriam et veram naturam accidentis. At vero locus extrinsecus, licet in se sit accidens respectu subiecti in quo inest (quia est superficies eius), tamen respectu corporis quod circumdat non est verum accidens, quia nec vere afficit nec immutat tale corpus, sed solum extrinsece adiacet ac denominat; unde solum per quamdam analogiam et proportionalitatem participat rationem et praedicationem accidentis. Propter hanc ergo causam existimo huiusmodi locum et ubi non posse pertinere ad idem praedicamentum. Et eadem ratione, cum proportione applicata, ostendi potest non pertinere ad praedicamentum quantitatis tamquam propriam speciem eius, praeter alias quas supra fecimus.

10. *Ad quod praedicamentum locus pertineat.*— Cum autem inquiratur ad quod praedicamentum pertineat locus extrinsecus, mihi certe videtur sub diversis rationibus ad diversa praedicamenta reduci. Nam si locus consideretur ut mensura extrinseca locati, reduci potest ad praedicamentum quantitatis, non ut species eius, sed ut proprietas. Si vero consideretur ut terminus extrinsecus, sic proprie nullius est praedicamenti, quia sub ea ratione non habet rationem formae afficientis, sed tantum termini extrinseci ultra quem alterius corporis quantitas non diffunditur, quae est ratio quaedam negativa. Unde sub hac ratione non solum superficies corporis continentis est terminus contenti corporis, sed etiam, e converso, contentum est

⁶ actu, 1960; *alit. om.* “Esta palabra falta en algunas ediciones.” Cf. BHF, v. VII, p. 299.

terminus continentis; ut supremum caelum, quamvis ex superiori parte non habeat extrinsecum terminum, habet tamen illum ex parte inferiori, nimirum superficiem convexam primi mobilis, quam propterea aliqui vocant locum illius ultimae sphaerae. Si vero locus tantum consideretur quantum ad relationes, quae inter ipsum et locatum resultant, illae omnes pertinent ad praedicamentum relationis, etiam habitudo continentis et contenti, si formaliter sub ratione relationis et non tantum fundamentaliter sumatur. Rursus si locus consideretur ut protegens et defendens locatum vel conservans illud, sic non habet rationem accidentis, sed rationem causae, vel per se, si per proprium aliquem influxum conservet locatum, vel per accidens, si solum tueatur locatum impediendo nocumenta, ut domus protegit hominem. Tandem, si locus consideretur ut quaedam extrinseca forma locati, quae videtur esse propria ratio eius, sic certe videtur habere eandem rationem denominandi quam habet habitus respectu hominis vestiti, et ideo posse non immerito ad illud praedicamentum revocari, quod ibi commodius explicabimus.

SECTIO III

UTRUM UBI VERUM AC REALE IN SOLIS CORPORIBUS, VEL ETIAM IN SPIRITIBUS CREATIS LOCUM HABEAT

1. *Ratio quae difficultatem ingerit.*— Ratio dubitandi est quia, licet *ubi* et locus extrinsecus distincta sint, tamen nunquam separantur; ergo res quae non sunt neque esse possunt proprie in loco, non possunt etiam habere proprium *ubi*; huiusmodi autem sunt substantiae incorporeae, nam illae, teste Aristotele, I de Caelo, c. 9, neque loco neque tempori subiectae sunt; unde etiam est theologorum axioma, incorporalia non esse in loco, nimirum proprie, sed tantum metaphorice; sumptumque est ex Boetio, lib. de Hebdomadib., c. 1. Et confirmatur, nam alias etiam in Deo haberet locum ipsum *ubi*, quod est falsum, cum Deus sit extra omne praedicamentum. In contrarium vero est quia spiritus creati non metaphorice tantum, sed vere ac proprie moventur localiter; ergo his etiam vere ac proprie convenit terminus primarius motus localis; sed huiusmodi terminus est ipsum *ubi*, ut dictum est; ergo et *ubi* proprie illis convenit.

Sensus quaestionis aperitur

2. Advertendum est duas quaestiones solere confundi in praesenti materia, quas oportet distinguere, ne in aequivoco laboremus. Nam quia de spiritibus nos philosophari non possumus nisi per proportionem ad corpora, sive affirmando aliquid de illis, sive removendo, ideo, sicut in corporibus duo invenimus, scilicet intrinsecum *ubi* et extrinsecum locum, ita de spiritualibus substantiis duo quaeri possunt: unum, an sint loco extrinseco; aliud, an habeant proprium et intrinsecum *ubi*, quae quaestiones sunt sine dubio valde diversae, quamquam affines sint et coniunctae. In praesenti ergo directe agimus de posteriori quaestione; attingemus vero ex priori quod obiter fuerit necessarium.

Prior sententia negans esse ubi in angelis

3. Est ergo aliquorum sententia in substantiis spiritualibus non dari *ubi* intrinsecum quod secundum se illis conveniat, id est, immediate et seclusa aliqua coniunctione ad corpus, sed per denominationem ab illo; quod proinde non poterit dici *ubi* intrinsecum, sed ad summum extrinsecus locus, per quamdam analogiam et proportionem. Hanc sententiam necessario supponit Durand., In I, dist. 36, q. 1 et 2, *ubi* simpliciter negat angelum esse in loco vel esse alicubi. Eandem videntur supponere auctores qui dicunt angelum esse in loco per operationem et, illa seclusa, nullibi esse; quorum primum docet D. Thom., I, q. 52, a. 1, *ubi* consequenter negat angelum habere *situm*, quod idem videtur esse ac habere *ubi*. Utrumque autem expressius docent thomistae, unum ex altero inferentes, ut patet ex Caietan. *ibi*, et q. 53, a. 1; Herv., In I, dist. 17, q. 1, a. 2, et tract. de Motu ang.; Ferrar., III cont. Gent., c. 68; et Capreol., In II, dist. 2, q. 1. Et probatur primo ratione, quia *ubi* ut sic supponit intrinsece quantitatem et extensionem, ergo non habet locum in re spirituali. Antecedens patet, primo, quia esse alicubi, ut nos explicuimus, intrinsece est occupare seu replere spatium, vel, si quis malit ita loqui, est constituere spatium reale, quia, seclusa re quae alicubi esse dicitur, spatium nihil est; sed spiritus, secluso corpore, non potest replere aut constituere reale spatium; ergo neque habere proprium *ubi*. Probatur minor, quia replere vel occupare spatium, per hoc solum a nobis in corporibus intelligitur, quod corpus sic existens simul cum alio *ibi* esse non potest, qui modus

occupandi spatium in spiritibus locum non habet. Rursus spatium reale neque est neque intelligi potest nisi cum distantia partium, alias non est spatium seu divisibile quid. Sed spiritus per seipsum non habet extensionem partium; ergo nec potest reale spatium per se constituere; ergo nec habere intrinsecum *ubi*.

4. Unde argumentor, secundo, quia si res spiritualis haberet *ubi* secundum se, etiam haberet situm et distantiam; consequens est falsum, nam haec intelligi non possunt sine quantitate. Tertio, si concipiamus angelos existentes ante omnia corpora, non possumus intelligere habere intrinsecum *ubi*; ergo signum est non esse capaces huius accidentis propter indivisibilitatem substantiae suae. Antecedens patet, quia si haberent *ubi*, intelligi possent unus distare ab alio, et consequenter unus sursum, alius deorsum, quod mens non capit sine extensione et quantitate. Item tunc angelus esse non posset totus in toto et totus in qualibet parte, quia nec esset totum, neque pars, nec spatium reale in quo haec distingui possent; et eadem ratione neque tunc esset angelus in puncto quasi quantitativo, quia hoc habet positionem in continuo et ita etiam dicit habitudinem ad partes; ergo nullum *ubi* intrinsecum posset intelligi in tali angelo. Ultimo argumentor, quia alias Deus etiam haberet suum *ubi* intrinsecum et consequenter esset Deus ubique, etiamsi nihil creatum et extra ipsum esset, quod tamen frequentius negant Scholastici, In I, dist. 37; praesertim Albertus, a. 4; Bonav., a. 2, q. 2; et Alens., I p., q. 9, membr. 4; et favent sancti, qui saepe dicunt Deum, seclusis creaturis, non esse alicubi, sed in se.

5. *Illatio prima ex priori sententia.*— Atque ex hac sententia sequitur primo angelum non solum non esse per seipsum in loco extrinseco, verum etiam nec esse hic aut alibi, nisi ratione extrinseci corporis, quia cum *ubi* sit proprium rei corporalis, adverbialia localia, quae sunt veluti denominationes sumptae ex loco aut *ubi*, non possunt rei spirituali convenire nisi medio corpore, ut anima mea dicitur esse hic, quia hic est meum corpus cui ipsa est unita. Quo fit ut non possit spiritus hanc denominationem medio corpore recipere nisi ratione alicuius peculiaris unionis et coniunctionis quam cum illo habeat, sive haec sit per informationem, ut in anima hominis, sive per operationem, sive per quodcumque aliud unionis genus.

6. *Secunda illatio.*— Secundo infertur angelum non posse moveri localiter, nisi ratione corporis, quo mediante, dicitur alicubi esse, quia motus localis intrinsece terminatur ad *ubi*; sed angelus non habet *ubi*, secluso corpore; ergo. Unde, si intelligeremus angelos creatos ante corpora, moveri non possent, quia neque essent hic neque illic; ergo nec transire possent hinc ad aliud *ubi*. Item motus et transitus requirit distantiam; seclusis autem corporibus, nulla est distantia, quia nulla est extensio; ergo, secluso corpore, non potest intelligi motus localis in sola re spirituali; secluso (inquam) corpore quod vel simul moveatur, vel saltem constituat distantiam per quam possit res spiritualis moveri.

Secunda sententia, tribuens rei incorporeae proprium ubi, approbatur

7. Secunda sententia affirmat esse in substantia spirituali proprium et intrinsecum *ubi*; quamvis enim sub his terminis raro loquantur auctores, tamen res ipsa frequens est. Hoc enim intendunt qui dicunt esse angelum in loco per suam substantiam seu per substantialem praesentiam et necessario fore alicubi, etiamsi in nullo corpore operetur, neque alicui realiter uniatur. Tenent autem hanc sententiam In II, dist. 2, Bonav., 2 part. distinctionis, a. 4, q. 1; Scot., q. 9; Gabr., q. 2, Greg. et alii; Alens., II p., q. 32, membr. 1, circa finem, et praesertim in solutionibus argumentorum; Marsil., In II, q. 2, a. 2; et Ocham, in Quodl. I, q. 4. Et hanc sententiam veram esse existimo; tamen, quia de rebus spiritualibus prout in se sunt vix possumus quippiam ratiocinari nisi ex sensibilibus vel per proportionem ad illas, ex his etiam in praesenti procedendum erit ad declarandam et persuadendam hanc sententiam.

Prima assertio in probationem superioris sententiae

8. *Spiritus potest esse praesens per suam substantiam in re corporea.*— Dico ergo primo: spiritualis substantia ita potest esse in re corporali, ut secundum suam substantiam sit illi intime praesens et ab illa indistans. Non assero nunc solam substantiam rei spiritualis esse

sufficientem causam vel rationem huius praesentiae; neque etiam disputo nunc quid haec praesentia sit, an relatio, an modus, an ipsa rei substantia, an denominatio extrinseca; solum assero spiritum revera esse posse substantialiter praesentem corpori intime et quasi penetrative. Quo sensu assertio est certa et evidens, et patet primo inductione, quia Deus, qui est supremus spiritus, est intime praesens huic universo corporeo, non tantum per praesentiam, id est, per cognitionem, et per potentiam seu actionem, sed etiam per essentiam vel per substantiam suam, ut omnes theologi docent tamquam de fide certum, ob divinam immensitatem. Et specialiter de corporibus iustorum ait Paulus esse templa Dei, I ad Cor., 3; et singularissimo modo dicitur divinitas habitare in Christi corpore, ad Coloss., 2, quia, nimirum, Verbum intime est unitum etiam ipsi corpori Christi. Rursus etiam infimus spiritus, qui est anima rationalis, per substantiam suam est intime praesens humano corpori, quia realis unio neque esse neque intelligi potest sine intima praesentia substantiali, seu (quod idem est) cum distantia locali; est autem inter animam et corpus realis et intima unio. Ex quibus extremis licet colligere quippiam simile de angelicis spiritibus, qui sunt quasi medii. Nam, licet non habeant tam necessariam connexionem vel unionem cum corpore quantum habet anima humana in ratione formae, vel Deus in ratione efficientis, tamen voluntarie vel ex imperio superioris possunt adesse corporibus et in eis operari. Quomodo etiam Aristoteles intelligentias motrices caelorum fecit praesentes suis orbibus. Et secundum fidei doctrinam est id certissimum; credimus enim quosdam spiritus esse in inferno, qui est locus corporeus, in quo illi sunt vere praesentes per suas substantias; alios vero esse in caelo empyreo, quod est sedes beatorum; et quosdam interdum in hoc aere, et inter nos versari, et accedere ad nos, et recedere a nobis; omnis ergo spiritus, quantum ex se est, potest esse per suam substantiam indistans a corpore.

9. Ratio vero est quia quaelibet duae res vel substantiae possunt esse inter se indistantes quantum est ex se, si aliunde non oriatur repugnantia inter eas, quae repugnantia inter substantias corporeas oritur ex quantitate, ut supra, in disput. XL, tractatum est; oritur (inquam) quantum ad hoc ut se intime penetrare non possint, non vero quoad hoc ut non possint esse simul et indistantes in ultimis terminis suis, nam haec etiam propinquitas nullis corporibus repugnat ex eo quod corpora sunt, nisi aliunde ex peculiari natura habeant esse inter se dissita. Sic igitur, seclusa quantitate vel ab utroque vel ab altero extremo, non repugnat quascumque duas substantias esse intime sibi praesentes et indistantes, quia neutra habet unde alteram excludat a se, vel a loco suo; in hac ergo ratione potest substantia spiritualis esse praesens intime in corpore, sive in illo aut intra illud per propriam efficientiam, sive per virtutem extrinsecae causae constituatur.

Secunda assertio

10. *Quilibet angelus finito tantum spatio potest esse secundum substantiam praesens.*— Dico secundo: nullus spiritus creatus potest secundum substantiam suam esse praesens corpori cuiuscumque magnitudinis, sed unusquisque habet in hoc limitatam sphaeram. Etiam haec apud theologos est certa sententia, qui erroris damnant sententiam Durandi, eo quod dixerit angelos esse ubique, quamvis ille in obscuriori sensu locutus sit, de quo alias. Ratione etiam potest sufficienter demonstrari ex limitatione substantiae angelicae quoad essentialem perfectionem, ex qua sequitur ut omnes suas proprietates vel virtutes habeat finitas et limitatas; una autem harum proprietatum est posse per substantiam suam esse praesentem corpori extenso. Denique ex dictis supra de immensitate Dei satis constat haec veritas, quoniam esse immensum est proprium Dei, et ideo in probanda re certa immorari non est necesse.

Tertia assertio

11. *Quivis angelus potest mutare realem praesentiam ad spatium.*— Ex his duobus principiis sequitur tertium quod etiam est indubitatum, nempe, spiritum creatum posse vere ac proprie mutare realem praesentiam et propinquitatem ac realem distantiam quam habet ad corpora, non solum per mutationem alterius, sed etiam per sui mutationem, quae interdum potest fieri simul cum corpore, interdum sine illo. Haec omnia facillime videri possunt in spiritu humano, nam, licet a principio unaquaeque anima coniuncta sit suo corpori et ab illo non recedat quamdiu corpus vivit, tamen et vivente corpore simul cum illo transfertur de loco ad

locum, et revera amittit propinquitatem quam habet ad quaedam corpora et ad alia appropinquat, quia, moto corpore, necesse est ut cum illo moveatur, cum in illo sit adaequate. Et rursus in morte non solum amittit corporis informationem, sed etiam propinquitatem seu indistantiam, quia iam non manet intra corpus; amittit autem illam, non ad motum alterius corporis, ut per se constat, ergo per propriam mutationem ipsius spiritus. Idem ergo cum proportionem intelligendum est in angelis, nam, licet non uniantur corporibus ut formae, tamen possunt esse ipsis praesentes, sive ut motores, sive alio modo, et ideo possunt vel cum illis simul ferri, ut cum angelus assumit corpus, vel suam substantialem praesentiam transferre ab uno corpore in aliud, ut cum angelus descendit a caelo in terram. Quae omnia etiam ex modo loquendi Scripturae nobis certa sunt, nam simpliciter et in omni proprietate ita de angelis loquitur, historiam referens et eorum facta narrans; sed de hoc alias.

12. Ratio autem est, quia spiritus angelicus solum potest exhibere praesentiam suam substantialem finito corpori; et non est ex natura sua definitus ad certum corpus, neque ad eundem immutabilem situm alicuius corporis; ergo potest illam suam praesentiam exhibere nunc huic corpori, postea alteri, vel nunc huic corpori in hoc situ eius, et postea in alio situ. Minor quoad spiritus angelicos clara est, quia, cum non sint formae corporum, nullis certis corporibus sunt alligati; et eadem ratione non habent ex natura sua definitum certum situm universi, in quo unusquisque eorum necessario debeat adesse corpori ibi existenti, quia nulla est in angelo proprietas naturalis, ratione cuius determinet sibi illum quasi locum sibi naturalem. Consequentia vero probatur ex perfectione angelicae substantiae, quae est vivens perfecto modo, de quo supra, disp. XXXVI, dictum est. Quamquam ad rem praesentem parum refert sive angelus possit se movere, sive ab alio moveri; sufficit enim quod mutari possit secundum propinquitatem vel distantiam a corpore.

Quarta assertio

13. *Mutatio localis praesentiae intrinsece ac vere in ipso est.*— Ex his infero, et dico, quarto, hanc mutationem non solum tribui angelo per aliquam denominationem extrinsecam, sed vere ac realiter et intrinsece seu inhaerenter in eo fieri. Huic assertioni contradicunt Caietanus et multi thomistae, in I, q. 53, a. 1, ubi Caietanus ait angelum non moveri tamquam subiectum motus; quod etiam tenuit Hervaeus, In I, dist. 17, q. 1, a. 2; et insinuat ibidem Aegidius, q. 10, et a fortiori Durandus, qui, cum censeat angelum eo modo quo est in loco esse ubique, consequenter negat posse proprie moveri. Et idem sentit Ferrariensis, III cont. Gent., c. 102; et Soto, IV Phys., q. 2, et lib. VI, q. 4. Contrarium vero censeo omnino verum et certum, non solum in principiis fidei, sed etiam in naturali ratione. Probatur ergo assertio, primo, ex communi ratione verae mutationis, de cuius ratione est ut sit in subiecto quod mutari dicitur, ut constat ex dictis supra de passione, quia per solam denominationem extrinsecam nemo vere mutatur. Sed cum angelus dicitur moveri seu mutare locum, vere mutatur; alias illae locutiones non essent verae per proprietatem, sed per metaphoram, quomodo etiam Deus dicitur descendere aut venire, quod est plane falsum; ergo cum angelus mutatur localiter, veram et realem mutationem in seipso recipit. Minor a theologo probari potest ex frequenti modo loquendi sacrae Scripturae, quem esse proprium et non metaphoricum omnes sancti intelligunt, quia ubi non est necessaria⁷ metaphora, fingenda non est, maxime ubi tam frequens est locutio et historica narratio, et nihil alibi in eadem Scriptura dicitur quod proprietati illius locutionis repugnet.

14. Unde sancti Patres in hoc magnam constituunt differentiam inter Deum et alios spiritus creatos, nam, cum Deus sit immutabilis et hoc ipsum Scriptura saepe doceat, cum alibi dicit Deum descendere vel quid simile, constat metaphorice loqui. De caeteris vero angelis nunquam dixit esse immutabiles; quin potius saepe significat hoc esse proprium Dei, ut cum per antonomasiam dicit: *Ego Deus et non mutor*. Neque aliud docet aut patitur ipsa ratio naturalis, etiam loquendo in speciali immutabilitate locali. Unde etiam Aristoteles non omnes

⁷ necessaria, 1960; *alit. om.* “La palabra *necessaria* no figura en algunas ediciones, entre ellas la Vivès.” Cf. BHF, v. VII, p.310.

intelligentias, sed solum primum motorem posuit omnino immobilem; et D. Thomas supra, q. 9, a. 2, docens proprium esse Dei esse immutabilem, ait *spiritus creatos esse mutabiles secundum electionem et secundum locum, per veram potentiam passivam in eis existentem*; et ideo in q. 53, a. 1, docet angelum moveri dimittendo unum locum et acquirendo alium. Quae est etiam communis sententia scholasticorum, cum Magist., in II, dist. 9; Alens., in II p., q. 33; Albert., de Quatuor coaequaev., q. 9; Marsil., In II, q. 7, a. 3. Et eundem esse sanctorum Patrum sensum constat ex Augustino, epist. 57 ad Dardanum; et Ambrosio, lib. I de Spiritu sancto, c. 10, ubi optime et disertissime loquitur; et Gregorio, II Moral., c. 3; et Bernard., serm. 5 in Cantic.: *Angelos (inquit) de loco ad locum mutari, tam indubitata quam manifesta probat auctoritas*. Idem sumitur ex Nazianzeno, orat. 2 de Theologia; et Damasc., lib. II de Fide, c. 3, et lib. I, c. 17.

15. Deinde probatur ratione, quia spiritus creatus vere ac proprie est per suam substantiam praesens alicui loco seu corpori, ut in prima assertione probatum est, et in ea praesentia est limitatus, et alioqui non habet illam ex natura sua definitam ad unum corpus vel ad unum situm corporum, ut in aliis assertionibus ostensum est; ergo est capax verae ac propriae mutationis quae in ipso fiat, per quam ex uno loco corporeo ad alium transeat; ergo talis mutatio non solum debet fieri in rebus extrinsecis quae circumstant angelum, sed etiam in ipsomet angelo, quia ipsemet vere transfertur *secundum naturam suam*, ut Ambrosius supra loquitur, id est, secundum suam substantiam et realem praesentiam, ab uno loco in alium.

16. Secundo declaratur et probatur, quia tribus modis intelligi potest mutare angelus praesentiam vel propinquitatem ad aliquod corpus: uno modo, per transitum vel recessum ipsius corporis tantum; secundo, sine motu locali alicuius corporis, per mutationem angeli; tertio, si corpus moveatur, et angelus simul cum illo et in illo. Quando amissio praesentiae vel propinquitatis fit primo modo, tunc revera est sola denominatio extrinseca in angelo, et ideo tunc non potest vere dici angelus descendere aut omnino moveri localiter, nam hoc modo etiam Deus ipse desinit esse in re in qua antea erat, per desitionem talis rei sine mutatione Dei; et unum corpus potest hoc modo amittere contactum vel circumscriptionem seu propinquitatem plurium corporum sine mutatione sui, ut supra dicebamus de arbore in lumine existente; et hac ratione angelus motor alicuius caeli nec per se nec per accidens movetur ad motum sui orbis, ut notavit D. Thom., I, q. 51, a. 3, ad 3, quia, licet continue mutet praesentiam ad diversas partes sui mobilis, id totum est per mutationem mobilis, manente intelligentia motrice in eodem situ partiali talis mobilis. Ex hoc igitur primo membro satis constat variationem loci quasi materialis (ut sic dicam) per denominationem extrinsecam non satis esse ut angelus moveri dicatur.

17. At vero quando mutatio angeli fit secundo modo, necesse est ut per mutationem propriam in ipso angelo tamquam in subiecto receptam, amittat vel acquirat praesentiam vel propinquitatem ad corpora, quia illa acquisitio vel amissio non fit per mutationem alterius; ergo necesse est ut fiat per mutationem ipsius angeli. Antecedens patet, quia supponimus nullum aliud corpus localiter moveri; impossibile autem est intelligere illas res quae antea erant coniunctae nunc esse distantes, nisi per mutationem localem alterius. Quod autem saepe angelus hoc modo mutet praesentiam, evidenter confirmat exemplum de anima rationali, quae, cum separatur a corpore, realem praesentiam quam ad illud habebat amittit et acquirit aliam in caelo vel in inferno, et tunc, per se loquendo et ex necessitate, nulla mutatio localis fit, vel in corpore quod ab anima deseritur, vel in aliquo alio; illa ergo mutatio necessario debet intelligi subiective et intrinsece in substantia animae. Atque idem est de mutatione quae secundum fidem nostram frequenter fit in eadem anima a purgatorio ad caelum; quae enim mutatio localis alicuius corporis necessaria est ut talis mutatio fiat? Idem ergo maiori ratione intelligimus verum esse in angelis qui in caelum ascendunt vel descendunt in terram, nulla facta motione locali in corporibus, quae per se necessaria sit; et iuxta theologorum doctrinam comitantur animas dum ad sua loca tendunt. Et ratio a priori est quia angelus non tantum movetur per accidens, sed etiam per se; esset enim magna imperfectio in substantia mutabili seu indigente motu solum posse moveri per accidens ad motum alterius; ergo, dum angelus per se movetur se applicando huic vel alteri loco, ille motus non potest esse nisi in ipso angelo, quia in nullo alio existit.

18. Hinc ulterius convincitur idem dicendum esse in tertio modo, quo substantia spiritualis simul cum corpore movetur, ut, verbi gratia, quando angelus, assumens corpus, cum illo incedit, ut quando angelus deferebat Habacuc. Primo quidem quia tunc angelus tam per se movetur, quam si solus mutaret locum; ergo concomitantia alterius corporis ab ipso motu non tollit quin ipse vere in se recipiat motum, ac si solus mutaretur. Patet consequentia, quia concomitantia alterius non impedit propriam mutationem, praesertim quia non tam est concomitantia, quam consecutio ordine naturae posterior, ut iam declaro. Antecedens autem patet primo in illo exemplo de Habacuc, quia angelus tunc non ferebatur, sed secum ferebat hominem; ergo ipse angelus per se movebatur, homo vero quasi consequenter ad motum seu virtuales contactum angeli; sicut quando homo vel equus movetur trahens lapidem aut currum, magis per se movetur homo aut equus, quam res quae trahitur. Atque idem in rigore est, etiamsi angelus moveatur in corpore assumpto motu qui videtur progressivus, nam licet quoad nos seu in externa specie videtur⁸ moveri per accidens, quia totum illud apparet per modum unius corporis viventis, tamen revera non est unum per se id quod movetur, sed duo quae non habent inter se unionem, nisi motoris et moti, et ideo angelus non proprie movetur ad motum corporis, sed seipsum movet et secum defert tale corpus, quod vocatur assumptum accidentaliter, propter motionem cum peculiari modo et repraesentatione. Tunc ergo etiam proprius motus angeli in ipso recipitur.

19. Quod praeterea ita declaro, quia, licet virtus motiva utriusque, scilicet, angeli et illius corporis, sit in solo angelo, tamen non uno impulsu neque una actione movet utrumque, nam actio qua movet corpus est in ipsomet corpore (loquor enim de transeunte); illa vero non sufficeret ad movendum seu deferendum simul ipsum angelum, tum quia nulla supponitur colligatio inter angelum et corpus ratione cuius moto corpore feratur angelus, nisi ipse seipsum ferat, ut ita loquar; tum etiam quia posset angelus impellere et proicere corpus manens ipse immotus. Addo praeterea, etiamsi demus angelum tunc moveri per accidens, necessarium esse ut in se recipiat mutationem qua vere et in se mutetur, quia vere mutat formalem locum (ut sic dicam) in quo antea erat; sicut homo qui defertur in navi, licet dicatur moveri per accidens, tamen in se vere recipit mutationem, quia, licet non mutet materialem locum circumdantem, mutat tamen formalem locum, quem Aristoteles dixit esse immobilem. Unde non dicitur moveri per accidens, quia non vere in se mutetur, sed vel quia illa mutatio non per se fit, sed consequenter ex alia mutatione, vel certe quia non movetur ut totum, sed per modum partis unius integri mobilis. Et optimum exemplum est in anima rationali coniuncta corpori, quae, licet per accidens moveri dicatur moto corpore, nihilominus vere ipsa in se movetur et mutat suum partialem locum; multo ergo magis id verum erit in angelo, qui non minus definitur suo adaequato loco quam anima corpore.

20. Tandem probatur ratione his omnibus rebus communi, quia, quando angelus hoc modo movetur cum alio corpore, licet non amittat praesentiam substantialem ad illud corpus cum quo movetur, amittit tamen propinquitatem quam habebat prius ad alia corpora, quibus corpus motum ab ipso prius erat propinquum; ut, verbi gratia, cum angelus loquebatur cum beata Virgine, sicut illud corpus per quod loquebatur erat propinquum Virgini, etiam substantia angeli erat propinqua, non per intimam praesentiam substantialem intra corpus Virginis, quia supponimus fuisse definitive in illo corpore, sed per quamdam localem propinquitatem. Non enim capit mens quod corpus illud in quo angelus loquebatur esset propinquum Virgini et angelus per suam substantiam esset intime et definitive in illo, et quod non haberet quamdam proportionalem, veram tamen et propriam propinquitatem substantiae suae ad corpus Virginis. Cum ergo ille angelus discedebat per motum localem sui corporis, sicut corpus illud amittebat propinquitatem et paulatim fiebat magis ac magis distans corporaliter, ita et angelus substantialiter et localiter modo sibi proportionato. Ergo non poterat id fieri sine propria mutatione recepta in ipsa substantia angeli. Patet consequentia, quia propinquitas inter duas res non potest amitti vel mutari, nisi per mutationem alterius earum; sed tunc non fuit mutatum localiter corpus Virginis; ergo non potuit amitti illa propinquitas, nisi per mutationem propriam ipsius substantiae angelicae.

⁸ videtur, *ed. Vivès*; videtur, 1960. "Error en la ed. 1960" (Castellote). Cf. BHF, v. VII, p. 313.

21. Nec dici potest per solam mutationem corporis assumpti mutatam fuisse propinquitatem inter substantiam angeli et corpus Virginis, quia illud corpus assumptum neque erat fundamentum neque extremum illius relationis; ergo per solam mutationem eius non tollitur illa relatio. Unde potuisset optime illud corpus moveri vel a Deo vel ab ipso angelo per impulsum, vel dissipari et corrumpi, manente substantia angeli aequae propinqua corpori Virginis, ut, verbi gratia, aliquid operando in aere, vel in alio corpore intronnisso in locum alterius; ergo non satis est mutatio facta in corpore ut substantia angeli amittat propinquitatem, nisi in ipsamet fiat aliqua mutatio. Sic igitur satis constat his duobus ultimis modis explicatis angelum ita vere ac proprie moveri, ut ipse sit proprium subiectum illius mutationis ratione cuius moveri dicitur.

22. Neque contra hanc assertionem aut praecedentes aliquid obiiciunt auctores citati, cui specialiter respondere necesse sit. Solum enim supponunt fundamentum illud quod in re spirituali non sit proprium et intrinsecum *ubi*, et ex illo consequenter philosophantur; si enim angelus non habet intrinsecum *ubi*, nec intrinsecum motum habere potest; nos autem, contrario modo, progredimur ab eo quod notius et evidentius videtur, ad contrariam resolutionem propositae quaestionis demonstrandam.

Quinta assertio directe quaestioni respondens

23. *Angeli habent proprium et intrinsecum ubi.*— Dico ergo quinto: in substantia finita immateriali datur proprium et intrinsecum ubi illi proportionatum. Haec assertio sequitur manifeste ex dictis eamque defendit late ab impugnationibus Gregorii Capreolus, In II, dist. 6, q. 1, a. 2, ad argumenta ultimo loco posita contra secundam conclusionem, ubi indifferenter videtur loqui quoad hoc de corporibus et spiritibus. Loquor autem de substantia finita, quia nunc de ubi accidentali agimus, quod non habet locum in Deo; de quo etiam supra, disp. XXX, sect. 7, dictum est et infra, solvendo argumenta, aliquid addemus. Assertio ergo posita evidenter, ut existimo, infertur ex praecedentibus, nam omnis motus intrinsece inhaerens alicui subiecto relinquit in eo aliquem realem terminum, [quia motus essentialiter est via ad terminum]⁹ et non potest esse via in uno subiecto et terminus in alio, cum via nihil aliud sit quam intrinseca acquisitio et dependentia eius rei quae fit; unde si via sit in aliquo subiecto, in eodem fit res quae per illam acquiritur. Ex hoc enim principio supra argumentati sumus de *ubi* corporum; est autem illud principium ex se generale ad omne subiectum omnemque mutationem, nam ratio facta universalis est et abstracta. Sed in substantia angeli, cum movetur localiter, inest aliqua vera mutatio realis, ut ostensum est; ergo aliquid per illam acquiritur vel amittitur in tali substantia illi intrinsecum seu inhaerens. Hoc autem non potest esse nisi *ubi*, quia motus localis non tendit nisi ad *ubi*; ergo datur in substantia spirituali finita intrinsecum *ubi*. Et haec ratio, quae per se sola mihi videtur sufficiens, suppositis principiis positus, evidentius constabit declarando quale sit hoc spirituale *ubi*, quod in sequenti sectione commodius fiet.

SECTIO IV

QUAM PROPORTIONEM SERVENT INTER SE UBI CORPORIS ET SPIRITUS

1. Prius quam respondeamus fundamentis prioris sententiae praecedenti sectione positus, amplius declaranda est ratio et natura ipsius spiritualis *ubi*, quod non potest a nobis fieri nisi per proportionem ad *ubi* corporeum, et illa inter se comparando.

2. *Ubi angelicum specie differt ab ubi corporeo.*— Dico ergo primo: *ubi* angelicum specie diversum est ab *ubi* corporeo. Probatur, nam *ubi* corporis materiale est; *ubi* vero angelicum spirituale. Deinde, ratione *ubi* corporei subiectum eius est ita extensum in ordine ad locum, ut sit totum in toto, et pars in parte spatii quod occupat; at vero ratione *ubi* spiritualis subiectum non est ita extensum, sed indivisibiliter praesens, ita ut si praesentia sit ad spatium divisibile, totum subiectum eius sit in toto et totum in qualibet parte. Tertio, *ubi* corporeum tale est, ut non admittat secum in eodem spatio aliud corpus naturaliter existens; *ubi* vero angelicum ex vi et natura sua non excludit ab eodem spatio quodlibet aliud *ubi*, sive corporeum sive

⁹ [quia...terminum] ed. *Vives* et aliae ed. *om.* “La frase entre corchetes se omite en la ed. *Vivès* y en algunas otras.” Cf. BHF, v. VII, p. 316.

spirituale. Ex his ergo satis colligitur essentialis diversitas inter haec *ubi* et consequenter inter motus locales corporis et spiritus; de quo iterum occurret sermo infra, sect. 5, ubi convenientia et differentia inter haec magis declarabitur.

3. Dico secundo: de *ubi* angelico est cum proportione philosophandum, sicut de ubi corporum, quantum ad multa in quibus conveniunt quaeque ad rem praesentem spectant. Probatum applicando sigillatim et cum proportione quae de *ubi* corporeo in 1 sect. diximus.

Prima convenientia inter ubi corporis et spiritus

4. *Ubi angelicum est modus in re distinctus ab angelo.*— Primo ergo hoc *ubi* angelicum est modus substantiae angelicae, ex natura rei distinctus ab ipsa, a quo formaliter habet talis substantia praesentiam substantialem, quantum est ex parte sua, ad corpus occupans tale spatium. Probatum, quia hoc *ubi* est aliquid quod acquiri potest et amitti per verum motum realem inhaerentem ipsi substantiae spirituali; quidquid autem eiusmodi est distinguitur saltem ex natura rei ab illa substantia in qua amittitur vel acquiritur, ut saepe in superioribus probatum est. Haec autem distinctio modalis sufficit in praesenti, quia per localem motum non transmutatur substantia secundum aliquam rem ab ipsa realiter distinctam; ideoque nec motus ipse localis distinguitur realiter a mobili, sed modaliter. Unde etiam sumitur confirmatio¹⁰, nam motus localis, cum sit subiective in substantia angeli, ut ostendimus, necessario debet esse modus eius, et ex natura rei distinctus ab illa, quia est aliquid positivum reale et absolutum, quod potest esse et non esse in illa; ergo et *ubi*, quod est intrinsecus terminus talis motus, est modus intrinsece efficiens ipsam substantiam angeli.

5. *Effectus formalis ubi angelici est constituere angelum loco praesentem.*— Praeterea, quod effectus formalis talis modi sit constituere praesentem substantiam angeli hic vel ibi, ex eadem proportione ad corpora intelligi potest. Item, quia ex dictis de motu angelico et ex aliis principiis positae facile intelligitur hunc effectum formalem esse necessarium in substantia angeli; et non est alia forma a qua possit dari, neque etiam est alius effectus formalis quem possit dare praedictus modus; ergo. Consequentia cum minori satis per se notae sunt. Maior declaratur breviter, nam substantia angeli vere per seipsam adest intime alicui corpori; illa autem praesentia, licet, ut dicitur ordinem ad alterum, sit relatio, tamen, ut est fundamentum illius relationis, est quid absolutum non tantum in corpore, sed etiam in substantia angeli, et posset explicandi gratia vocari *adsentia*. Hoc autem fundamentum ex parte angeli non est sola substantia eius. Nam angelus, verbi gratia, qui est nunc praesens huic aulae, illemet secundum totam substantiam suam potest esse in caelo, et ibi non fundaret relationem praesentiae ad hanc aulam in eodem loco manentem; ergo sola substantia angeli ut sic secundum se nec est fundamentum talis relationis, neque formale extremum ad quod terminatur relatio alterius; ergo oportet aliquid aliud adiungere substantiae; hoc autem nihil aliud est quam illud esse ibi, quod per modum absolutae praesentiae intelligitur in tali substantia, quod necesse est formaliter provenire ab aliquo intrinseco modo illius substantiae; ergo.

6. Responderi solet id quod ex parte angeli additur ut proxima ratio fundandi hanc relationem non esse modum aliquem in ipso angelo, sed esse operationem eius in corpus. Sed hanc evasionem inferius refutabimus, ostendendo hanc operationem neque esse necessariam ad illam relationem nec posse esse fundamentum aut rationem talis praesentiae. Et declaratur breviter ex dictis de motu angeli, quia non potest angelus habere illam praesentiam formaliter per solam denominationem ab aliquo corpore vel a qualibet alia re illi extrinseca, nam fieri potest ut, recedente quolibet corpore et quolibet alio adveniente, angelus eundem praesentiae modum ex parte sua retineat, ut in argumentis superius factis declaratum est et in sequentibus necessario inculcabitur saepius, ergo hic effectus formalis absolutae praesentiae seu existendi hic aut ibi est ab aliquo modo intrinsece existente in ipsa substantia angeli, quod esse non potest nisi ille modus superius a nobis declaratus.

¹⁰ Vide D. Th.. In I, dist. 37, q. 4, a. 1; et Scot., In II, dist. 2, q. 9.

Secunda convenientia

7. *Ubi angelicum non habet dependentiam a corpore extrinseco.*— Secundo, hoc ubi convenit angelo, per se loquendo, independenter a corpore extrinseco a quo fortasse hic et nunc non¹¹ distat, vel in quo forte operatur, sicut dicebamus superius *ubi* intrinsecum convenire corpori independenter a corpore circumscribente. Probatur eodem modo, quia in nullo genere causae pendet talis modus angelicus a tali corpore, quia neque ut a forma extrinsecus denominante, ut ostensum est; neque ut ab efficiente, quia corpus non agit per se in spiritum, naturaliter loquendo; et de aliis generibus causarum res est clara. Neque etiam pendet ut a termino, quia non est relatio praedicamentalis, sed ad summum est fundamentum eius, et hoc magis statim confirmabitur.

Tertia convenientia

8. Tertio addendum est hoc *ubi* angelicum non solum non pendere ex hoc vel illo corpore simul existente, verum etiam nec simpliciter a corpore, in quo etiam servat proportionem cum *ubi* corporeo quantum ad hoc, quod sicut *ubi* intrinsecum unius corporis essentialiter non requirit aliud corpus circumdans, sed potest manere etiamsi reliquum spatium vacuum sit, ita angelus potest retinere idem *ubi* reale, spirituale intrinsecum, non solum si corpora mutantur, verum etiam si omnino auferantur et spatium corporibus vacuum relinquatur. Probatur, quia tale *ubi*, sicut non pendet ex singulis corporibus, ita nec ex omnibus simul, neque ex corpore determinate, neque confuse aut disiunctim, quia non est maior ratio unius quam alterius dependentiae.

9. Secundo, quia hoc *ubi* angelicum non dicit essentialem habitudinem ad spatium reale et corporeum; ergo omnino ablato tali spatio manere poterit. Antecedens probatur, quia vel illa habitudo ad tale spatium esset ut ad causam, vel ut ad effectum, vel ut ad terminum; nullum istorum dici potest cum probabilitate; ergo. Probatur minor quoad primam partem, quia, ut iam dixi, spatium corporeum non agit in spiritum per se et naturaliter, sive sit sermo de hoc spatio determinate sumpto, sive absolute de hoc vel quocumque alio ibi succedente. Quoad secundam partem probatur, tum quia spatium corporeum ut sic et ratione suae entitatis non est effectus alicuius spiritus creati, per se et ex necessitate loquendo. Et quamvis angelus possit aliquid operari in tali spatio, tamen neque hoc semper necessarium est, neque illud esse potest ratio praesentiae, sed potius supponit praesentiam, ut statim declarabo. Quoad tertiam autem partem probatio constat ex dictis, quia hic modus non consistit in relatione praedicamentali, qua seclusa intelligi non potest in praesenti materia dependentia essentialis ab aliquo ut a termino.

10. Tertio argumentor in hunc modum: ponamus angelum aliquem secundum substantiam suam esse intime praesentem alicui corpori; potest ergo Deus annihilare illud corpus, conservando omnino immutatam substantiam angeli omni genere mutationis realis et sine productione aut successione alicuius corporis, sed relinquendo spatium illud, quatenus corporale erat, inane; in his enim omnibus nulla est repugnantia, ut per se notum videtur. Rursus reproducat Deus illud corpus cum eodem *ubi* quod antea habebat; in hoc enim etiam non est repugnantia. Tunc sic concluditur: angelus ille aequae est intime praesens corpori illi reproducto ac erat antequam annihilaretur; ergo est in angelo idem modus intrinsecus existendi hic, ratione cuius habet illam praesentiam; ergo semper angelus retinuit in se illum modum intrinsecum, etiam quando illud spatium vacuum mansit, in quo modo ostendimus *ubi* angelicum consistere; atque ita concluditur tale ubi per se non pendere ab spatio corporeo. Maior videtur per se nota, quia angelus immutatus mansit, et corpus recuperat eundem locum seu intrinsecum *ubi*; ergo erunt tam propinqui et intime sicut antea erant. Item, si corpus sine interruptione suae existetiae perseverasset in eodem loco et angelus etiam fuisset immutatus, semper fuissent aequae simul; ergo, licet interrupta fuerit mutua praesentia per ablationem alterius extremi, si illud restitutum fuit ad eandem statum, erit eadem propinquitas. Prima vero consequentia etiam est nota ex superioribus, quia ad fundandam mutuam propinquitatem non satis est fundamentum seu *ubi* unius extremi sine alio. Item, quia licet corpus illud restitutum fuisset ad idem *ubi*, si angelus inde fuisset mutatus, non haberent inter se eandem propinquitatem; ergo oportet ut

¹¹ non, 1960; *alit. om.* "En algunas ediciones no figura este *non*." Cf. BHF, v. VII, p. 320.

perseveret in angelo aliquid quod per mutationem eius potest acquiri aut perdi; quod necesse est esse modum intrinsecum eius. Secunda vero consequentia patet ex prima suppositione, nam corpus annihilatum fuit sine mutatione reali angeli, et consequenter reproductum fuit sine reali additione facta in angelo; ergo omnis modus realis qui reperitur in angelo ante annihilationem illius corporis et post reproductionem eius, perseveravit in angelo toto eo tempore quo corpus illud fuit annihilatum et spatium vacuum. Ergo *ubi* angelicum, quantum est de se, aequae potest conservari, sive spatium sit reale et corporeum, sive inane, seu nihil praeter ipsum angelum.

Quarta convenientia

11. Quarto, ex dictis a fortiori infertur hoc *ubi* angelicum intrinsece non pendere ex operatione angeli in corpus aliquod neque ex aliqua alia reali unione ad corpus. Probatur, quia si non pendet ex corpore, ut ostensum est, multo minus pendeat ex operatione in corpus. Deinde ex propriis, quia si *ubi* angelicum pendet ex operatione in corpus, vel est a priori, tamquam a causa seu ratione ipsius praesentiae angelicae, vel a posteriori, ita ut sit operatio necessario consequens praesentiam; neutrum dici potest; ergo. Prior pars antecedentis probatur primo, quia operatio quae ab angelo fit in corpus, aut intelligitur transiens et recepta in ipso corpore aut immanens in ipso angelo; prior in se est materialis et saltem ob hanc causam non habet causalitatem in angelum quae proprie causalitas per influxum realem dici possit. Est etiam actio illa extrinseca angelo, quae proinde ad summum potest extrinsece denominare actu operantem hic, non vero potest formaliter conferre intrinsecum modum spirituales in ipso angelo existentem.

12. Posterior vero operatio immanens a qua effective prodit transiens non est nisi volitio qua angelus vult operari in corpus. Haec autem volitio non potest per seipsam formaliter constituere angelum huic corpori praesentem, quia illa volitio est quidem actus existens in voluntate; modus autem intrinsecus quo diximus angelum constitui alicubi est proxime et immediate afficiens ipsam substantiam angeli, sicut et motus localis eius; non est ergo formaliter qualitas neque actio vitalis, sed quoddam accidens alterius rationis et proprii praedicamenti. Unde etiamsi intelligamus angelum carere omni actu vitali, optime intelligimus ipsum manere substantialiter praesentem ubi antea erat; ergo hoc *ubi* angelicum non constituitur formaliter per illam operationem. At vero effective potest quidem hoc *ubi* causari a voluntate angeli; tamen hoc non fit per volitionem quatenus per illam vult operari in corpus, sed per volitionem qua vult se movere et applicare huic vel illi loco; quae volitio est obiective diversa. Adde quod licet ab hac voluntate effective fiat ipsum *ubi*, non tamen necesse est ut ab illa pendeat in conservari; postquam enim angelus per voluntatem se movit et fecit praesentem alicui corpori, etiamsi non habeat illam actualem voluntatem, dummodo non habeat contrariam inde recedendi, ibi manebit praesens, quia non est a quo necessario mutetur. Ergo nullo modo pendet *ubi* angelicum ab eius operatione ut a causa.

13. Et confirmatur, nam potius operatio angeli in corpus pendet ab eius *ubi* aliquo modo ut a causa, id est, ut a conditione necessaria quam supponit, nam agens finitum licet spirituale sit, sicut operatur ex praesupposito subiecto, ita praerequirat coniunctionem seu propinquitatem ad illud ut in illud agere possit, iuxta ea quae supra late tradidimus, disp. XVIII. Illa autem propinquitatis supponit ex parte angeli tale *ubi*; nam ex vi solius substantiae suae ut sic illam non habet; ergo operatio in corpus supponit *ubi* angelicum; non est ergo causa illius, nisi forte finalis, quatenus, videlicet, angelus se applicuit ad tale corpus, ut in illud operaretur, quae causalitas est impertinens ad rem praesentem.

14. Probatur iam alterum membrum, nimirum, quod operatio angeli in corpus non sit requisita tamquam necessario consequens ad *ubi* angelicum, primo, quia talis operatio est libera angelo, non solum ut absolute existenti, sed etiam ut existenti hic, seu ut habenti talem modum praesentiae, cum nihil cogitari possit quod voluntatem angeli necessario determinet ad talem operationem, per se et ex natura rei loquendo et seclusis extraordinariis actionibus Dei. Secundo, quia operatio angeli in corpus non potest esse nisi motio localis ipsius corporis, ut supra, disp. XXXV, ostensum est; sed ut angelus habeat suum intrinsecum modum praesentiae

et respectum propinquitatis ad tale corpus alicubi existens impertinens est quod tale corpus localiter moveatur, ut per se videtur notum; ergo sine causa dicitur illa motio necessario sequi ex *ubi* angelico.

15. Tertio, id patet inductione, quae utrumque membrum dilemmatis confirmat. Nam imprimis anima rationalis separata habet etiam suum intrinsecum *ubi*, ut probant omnia quae diximus, nam illa communia sunt substantiae finitae et spirituali ut sic; et tamen anima separata nullam habet operationem in corpus. Secundo, angeli, iuxta communem sententiam theologorum, creati sunt in caelo empyreo et tamen in illo operari nihil potuerunt, cum immutatum semper manserit; habuerunt ergo ibi praesentiam sine operatione. Nam quod Capreolus, In II, dist. 2, q. 1, ait, eos affuisse ibi ornando caelum, verba tantum sunt; interrogo enim an ornaverint caelum effective, ornamentum aliquod in illis faciendo; et hoc dici non potest; quas enim qualitates aut quam rem aliam in illud caelum produxissent? Aut intelligit ornasse quasi formaliter, ut gemma ornat annulum aut princeps thronum in quo sedet, et hic modus ornatus consistit in sola praesentia sine operatione. Adde daemones esse in inferno, non ut ornent illud neque ut ibi operentur, sed ut patiantur potius, quam passionem multi theologi putant consistere praecipue (quoad poenam sensus) in violenta detentione intra infimum et vile corpus, quod ea ratione apprehendunt ut instrumentum divinae iustitiae. Et quamquam fortasse praeter hanc poenam sit alia maior, tamen non est dubium quin etiam illa sit poena et quin possit esse sola, si Deus vellet, et tamen illa in rigore non includit aliquam actionem vel passionem extrinsecam praeter intimam praesentiam. Praeterea angeli, ut certo credimus, inter nos versantur et nobiscum adsunt, et tamen non semper actu operantur vel in nobis, vel in hoc medio aere; qualis enim fingi potest probabiliter talis continua operatio? Nam quod quidam aiunt, semper esse attentos ad operandum, si necesse sit, nil refert ad rem praesentem, quia illa attentio est actus mere immanens, et in caelo existentes habere illum possent. Quod si respondeant hic iam habere applicatam virtutem, hoc, praeter internum propositum voluntatis, nihil aliud est quam esse iam praesentes et quasi approximatos ad agendum, etiamsi non actu agant, et hoc est quod nos intendimus.

16. His rationibus convicti, fatentur aliqui necessariam non esse actualem operationem angeli in corpus, ut habeat praesentiam seu propinquitatem substantialem ad illud; dicunt tamen necessariam esse aliquam unionem realem angeli ad corpus, ratione cuius immediate dicatur esse in corpore cui est unitus, et ratione illius dicatur esse distans aut propinquus aliis corporibus, quia hae relationes non possunt intelligi in angelo nisi medio corpore, neque per corpus possunt convenire nisi posita aliqua unione ad tale corpus. Quod per quamdam proportionem ad animam rationalem corpori unitam intelligi et declarari potest. At vero qui ita sentiunt, quippiam novum excogitarunt, minime necessarium, et inexplicabile. Quis enim ex veteribus et gravibus theologis posuit unquam inter angelum et corpus formalem unionem, seclusa efficientia? aut quae est necessitas huius formalis unionis ad intelligendam intimam praesentiam et indistantiam¹² substantiae spiritualis cum corporali? Quamvis enim in anima hoc inveniatur, quia est forma corporis, et in divino Verbo respectu corporis Christi, vel potius in corpore respectu Verbi propter peculiare mysterium unionis hypostaticae, tamen inter Deum et omnes creaturas corporeas invenimus intimam praesentiam substantialem sine tali unione. Quod si quis dicat ibi intervenire efficientiam, et unionem esse necessariam ubi deest efficientia, contra hoc est quia, ut supra vidimus, efficientia non est ratio illius praesentiae ex parte Dei, sed potius illam supponit; ex parte vero creaturae, efficientia illa est necessaria, quia per illam fit et consequenter fit praesens. Et similiter unio animae, quamvis simul sit cum intima praesentia substantiali inter animam et corpus, non tamen est ratio illius neque in re omnino idem cum illa, nam, prius natura quam per generationem anima uniat corpori, per creationem fit intime praesens illi; et in resurrectione, verbi gratia, corporis Christi, priusquam illa anima iterum uniretur corpori, per motum localem ascendit a limbo usque ad sepulcrum, qui motus localis non fuit per se primo terminatus ad unionem animae cum corpore, sed ad praesentiam localem,

¹² Indistantiam, 1960; *alit.* distantiam. “En algunas ediciones, inexplicablemente, *distantiam*.” Cf. BHF, v. VII, p. 326.

ad quam statim subsecuta est unio; non est ergo unio ratio praesentiae, sed potius praesentia supponitur ad unionem.

17. Unde secundum absolutam potentiam non convertuntur in subsistendi consequentia, sed prior est praesentia. Nullo enim modo fieri potest ut fiat unio animae ad corpus sine intima praesentia et propinquitate ipsorum, ut per se notum est; e converso autem nihil repugnat manere animam secundum substantiam suam praesentem corpori et non unitam illi formaliter. Ut, verbi gratia, in instanti mortis cum naturaliter dissolvitur unio ex defectu dispositionum corporis, facillime posset Deus facere ut anima ibi praesens maneret localiter immutata; nam quid repugnat conservare ibi animam praesentem sine formali unione, sicut est praesens coelo et purgatorio absque simili unione? Praeterea supra ostensum est esse in angelis modum quemdam intrinsecum existendi alicubi omnino independentem a corpore, qui ex parte ipsorum sufficit, ut si corpus ibidem existat, habeant inter se intimam et realem praesentiam; ergo praeter illum modum non est necessaria aliqua realis unio inter angelum et corpus propter praesentiam; ergo simpliciter necessaria non est, quia nulla alia ratio huius necessitatis excogitari potest.

18. Praeterea est talis unio inexplicabilis: primo, quia non potest esse unio substantialis, ut est per se manifestum in angelis, de quibus loquimur, quia neque informant substantialiter corpora neque illa suppositant aut communicant illis suam subsistentiam vel existentiam; praeter quos modos nulla potest intelligi substantialis unio rei spiritualis ad corporalem. Neque etiam esse potest unio accidentalis, quia, seclusa unione per modum continuationis, qualis est media quantitate, quae non habet locum inter spiritum et corpus, non potest intelligi unio accidentalis inter substantias, nisi aut per solam approximationem et extrinsecam denominationem, ut est in corporibus inter locum et locatum, inter vestem et vestitum; aut per efficientiam seu impressionem aliquorum qualitatum, ut ignis dici potest unitus ferro candenti, et Deus unitus animae iusti; neque praeter hos hactenus excogitatos est alius modus unionis accidentalis inter substantias. Adeo ut Nestorius et alii haeretici qui affirmarunt esse solam unionem accidentalem inter Verbum divinum et Christum hominem, nullo alio modo illam explicare potuerint.

19. Et ratione declaratur, nam cum aliqua duo realiter uniuntur non per continuationem, sed per immediatam coniunctionem eorum inter se, necesse est ut aliquod esse reale unum alteri communicet, quia omnis unio realis ad hoc tendit ut ex extremis unum quid coalescat, quod non fit nisi quatenus vel ex eis resultat aliquo modo unum esse vel unum alteri communicat suum esse. Sed ex duabus substantiis ut sic non consurgit aliquod unum esse accidentale neque una earum formaliter seu per seipsam potest communicare alteri esse accidentale nisi improprium, id est, per extrinsecam denominationem, quia substantia ut sic non habet in se tale esse et non potest per seipsam formaliter communicare nisi quod in se habet. Ergo non potest inter substantias ut sic intercedere accidentalis unio, nisi vel effectiva vel per aliquam extrinsecam denominationem seu relationem, quae non sunt verae et reales uniones, neque requirunt proprium modum unionis in aliquo extremorum. Accedit quod omnis modus unionis reducitur ad aliquod genus causalitatis intrinsecae; angelus vero assistens alicui loco, si in illo nihil causat effective, nihil omnino causat; neque enim intelligi et explicari potest quid intrinsece per seipsum causet in corpore; ergo neque intelligi potest quam peculiarem unionem habeat ad illud. Neque est maior ratio cur angelus habeat talem unionem ad corpus quam corpus ad angelum, cum non plus causet angelus in corpus quam corpus in angelum; ponere autem hunc modum realem in corpore valde improbabile est et incredibile. Item, alias etiam anima separata esset capax huius unionis ad corpus, seclusa informatione, quia etiam illa potest esse intime praesens in aliquo corpore; illud autem inauditum est et inintelligibile. Tandem eadem ratione oportebit dicere, quando duo corpora ponuntur penetrative divina virtute, habere inter se realem modum unionis, praeter propria et intrinseca *ubi* et relationes praesentiae inde resultantes; consequens autem plane falsum est, quia illud est omnino superfluum et sine fundamento. Quod si duo corpora possunt intelligi sibi intime praesentia penetrative absque tali modo, cur non poterunt intelligi substantia corporea et spiritualis inter se etiam mutuo et intime praesentes absque illo modo unionis gratis conficto et inexplicabili?

Sitne angelus ut in loco, in corpore in quo non operatur

20. Relinquitur ergo proprium *ubi* angelicum et spirituale per se non pendere ex unione reali vel operatione in corpus ideoque posse spiritualement substantiam, per suum *ubi* intrinsecum, esse intime praesentem alicui corpori habenti proprium *ubi* accommodatum ad illam praesentiam, quamvis inter ea non sit actio ulla vel operatio, sicut unum corpus potest esse propinquum alteri vel etiam penetrative praesens sine actione. Tunc vero suboritur quaestio, quae potest esse magis de modo loquendi quam de re, an tunc angelus, qui sic est praesens alicui corpori, dici possit esse in illo ut in loco. In quo videtur esse diversitas opinionum inter D. Thomam et sequaces, et Scotum cum suis; nam D. Thomas negat, Scotus vero affirmat, quia ad id sufficit praesentia substantialis, ratione cuius dicimus angelos esse in caelo aut esse hic, utique ut in loco. Sed si in philosophico rigore loquamur, sententia D. Thomae verior est, quia in tali corpore nulla habitudo intelligi potest ad angelum, ratione cuius dicatur locus eius, quia solum habet habitudinem propinquitatis, ut ex dictis patet; sola autem propinquitatis non sufficit; cur enim potius diceretur corpus locus angeli quam e converso, cum etiam in angelo sit relatio propinquitatis ad corpus? Item etiam inter corpora locatum est propinquum loco, quod non est satis ut sit locus eius. Item, si duo corpora sint penetrative in eodem spatio, neutrum est locus alterius, etiamsi sibi sint propinquissima; ergo similiter, etc. Ratio denique est, quia locus extrinsecus (de hoc enim solo potest versari quaestio) habet rationem continentis; corpus autem illud nullo modo continet angelum, neque ab eo continetur, sed mere concomitanter sunt simul. Nec Scotus oppositum probat aliquo argumento, sed solum probat substantialem praesentiam angeli respectu talis corporis. Unde vero ortum habuerint illae locutiones: angelus est in caelo, et similes, et quomodo intelligendae sint, explicabimus paulo inferius, ubi hoc magis declarabimus et confirmabimus.

Quinta convenientia

21. *Angelus ante mundum creatus intrinsecum ubi haberet.*— Quinto ex dictis concluditur, si Deus creasset angelum ante mundum corporeum, habiturum necessario fuisse suum proprium *ubi* intrinsecum, quod esset modus substantiae eius, in quo etiam servat proportionem ad corpus, ut a nobis explicatum est. Probatur primo ex dictis, quia hoc *ubi* angelicum non pendet ex corpore; ergo, quamvis nulla sint corpora, est capax angelus proprii *ubi*; ergo ex hac parte non est repugnantia. Alioqui vero ex limitatione angelicae naturae oritur intrinseca indigentia et necessitas talis *ubi*, etiamsi corpora non sint. Quod ita declaro: nam si post creatum angelum, Deus creet corpus seu hunc mundum, ex vi creationis utriusque non sequitur per locum intrinsecum quod angelus et corpus sic creata sint inter se indistantia seu intime praesentia substantialiter. In quo est magna differentia inter Deum et angelos, nam, quandocumque et quomodocumque corpus creetur, necesse est ut habeat Deum intime praesentem per essentiam, quod provenit ex immensitate Dei; angelus vero non est immensus et ideo non necessario est per suam substantiam praesens in omni corpore quod creatur vel generatur, ut etiam nunc in rebus huius mundi videre licet; ergo, quamvis angelus esset creatus ante corpus, non necessario esset intime praesens corpori postea creato ex vi solius creationis eius, quamquam, si Deus vellet, posset etiam ita creare corpus illud, ut statim haberet intimam praesentiam cum angelo et angelus ad illud quia in hoc etiam nulla est repugnantia.

22. Ex utroque autem infertur quod intendimus. Nam si corpus et angelus sic creata non habent intimam praesentiam, ideo est quia utrumque habet limitatum *ubi*, inter quae est aliqua distantia, vel realis, vel quae apta est realis fieri, ut infra declarabimus. Cuius etiam signum est quia ille angelus posset fieri praesens illi corpori per propriam mutationem localem, sicut nunc per motum fit angelus praesens corpori quod antea non erat, ut supra declaratum est; ergo tunc angelus per illum motum acquirit novum *ubi* quod potest esse adaequatum virtuti eius; ergo amittit quod antea habebat quodque in sua creatione acceperat, etiam ante corpora. Si vero, e contrario, corpus illud ita creetur, ut statim, sine nova mutatione in angelo facta, sit intime praesens illi, hoc etiam est signum habuisse iam antea intrinsecum *ubi*, in quo possit illa praesentia fundari, posito alio extremo proportionali. Cuius etiam argumentum est, quia, post creatum illud corpus, posset angelus inde discedere et amittere propinquitatem ad tale corpus per sui mutationem absque mutatione corporis; ergo amitteret tunc aliquem intrinsecum modum

existendi quem habebat etiam antequam corpus crearetur, qui modus nihil esse potest nisi intrinsecum *ubi*. Itaque quia substantia angeli finita est, necessario recipit limitatum modum existendi, secundum quem possit esse absens vel praesens, distans vel propinquus aliis rebus finitis. Quo fit ut talis modus necessario sit accidentalis et variabilis in angelo per propriam mutationem eius, in quo ratio *ubi* consistit. Quod totum ex se convenit angelo, sive sint corpora sive non sint.

23. Et confirmatur tandem, nam, si unicum corpus creetur, necessario habet aliquod *ubi* proportionatum, etiamsi nulla alia res creata sit, quod provenit ex limitatione eius; ergo idem est proportionaliter in angelo. Dices non esse simile, quia corpus necessario secum affert et constituit spatium locale ac extensum, non vero angelus. Respondetur hoc discrimen esse impertinens, nam inde solum sequitur *ubi* corporis esse extensum et corporeum, non vero *ubi* angelicum. Hactenus enim nihil diximus de spatio reali, neque ad reale *ubi* in communi necessarium existimamus esse spatium reale; spatium vero imaginarium, vel ad omne *ubi* necessarium est, vel ad nullum, quia in re ipsa vere non est necessarium, cum in re nihil sit; secundum modum autem concipiendi nostrum, neque *ubi* corporeum neque *ubi* spirituale explicari a nobis potest nisi per quamdam habitudinem ad spatium imaginarium. Sicut ergo unicum corpus intelligitur habere suum *ubi* sine habitudine ad rem aliam distinctam a se, quia realiter adest illi spatio quod a nobis concipitur ut vacuum, si nihil ibi sit, ita substantia spiritualis, etiamsi sit in mundo sine ullo corpore, habere potest suum *ubi* reale, non per habitudinem ad aliquid distinctum a se, sed quia alicubi adest, *ubi* etiam posset adesse corpus si ibi crearetur; et *ubi* nos etiam concipimus spatium, quod licet intelligamus esse vacuum corpore, iam tamen non est vacuum omni substantia creata, cum vere ac realiter ibi angelus sit. Atque huic sententiae favet Aristoteles, I de Caelo, c. 9, textu 100, *ubi* ait extra caelum esse intelligentias separatas felicissimam vitam agentes.

An ubi intrinsecum angeli sufficiat, ut dicatur esse in loco

24. Statim vero suboritur quaestio similis praecedenti, an tunc possit dici angelus esse in loco; et eadem quaestio est, quando angelus est simul cum corpore et non operatur in illud, an possit dici esse in loco ratione sui *ubi* intrinseci, etiamsi corpus non sit locus eius, ut diximus. Et hanc quaestionem existimo etiam esse de modo loquendi, nam res constat, nimirum, ratione huius *ubi* habere angelum, quantum est ex se, ut possit esse distans vel propinquus aliis rebus. Item illud satis esse ut possit moveri localiter, mutando diversa *ubi*, nam hic est intrinsecus terminus motus localis. Unde etiam satis existimo esse hoc *ubi*, ut per adverbialia localia dicatur angelus esse hic vel ibi, quia haec adverbialia in rigore non dicunt habitudinem ad rem extrinsecam, sicut in corporibus dicebamus. His ergo constitutis, an ratione solius *ubi* intrinseci dicendus sit angelus esse in loco, necne, eandem habet dubitandi rationem quae in corporibus existit, de quibus diximus ad modum loquendi spectare; et quia haec verba, esse in loco, significare videntur habitudinem ad rem extrinsecam, ideo non proprie dici de corpore ratione solius *ubi* intrinseci. Maiori ergo ratione idem dicendum erit de rebus spiritualibus. Et hac ratione existimo dictum esse a Boetio et aliis, immo et ab Aristotele, de Cael., c. 9, text. 100, incorporalia non esse in loco nisi metaphorice vel aequivoce; locuti sunt enim non de *ubi*, sed de loco extrinseco, qui secundum proprietatem non invenitur in rebus spiritualibus, quia a nulla re extrinseca possunt vere ac proprie contineri.

25. *Angelos esse in loco metaphorice, ut sentiant graves viri.*— Et de eodem loco, ut opinor, locutus est D. Thomas, cum, I, q. 52, a. 1, dixit angelum esse in loco per operationem seu applicationem virtutis; loquitur enim de loco extrinseco et corporeo, qui, cum non possit convenire angelis secundum proprietatem, id est, secundum proprium contactum quantitativum, solum potest attribui angelis secundum quamdam proportionem et analogiam, fundatam in contactu virtuali, qui est per operationem. Et ideo iuxta hanc sententiam neque angelus existens alicubi, *ubi* nullum est corpus, nec etiam existens *ubi* est corpus, seu simul cum corpore in quo nihil operatur, dicitur esse in loco in dicto rigore et in proprietate, quia, cum priori modo existit, nulla est res extrinseca quae possit esse locus illius; cum vero existit posteriori modo, quamvis res extrinseca adsit, tamen est mere concomitanter et sine ulla habitudine inter angelum et

ipsam, quae possit fundare aut propriam aut proportionalem denominationem loci, et ideo tunc extrinsecum corpus non potest habere rationem loci angelici, ut diximus, quo secluso, non relinquitur alius locus extrinsecus in quo tunc angelus esse possit. Quamquam nostro modo loquendi, quia res spirituales comparantur ad corporeas ut actus et formae, ideo quaecumque sunt praesentes corporibus, dicuntur esse in illis, ut cum dicimus angelos esse in caelo empyreo, ubi illud *esse in* non dicit formalem habitudinem loci, sed dicit praesentiam in tali spatio reali et corporeo, quod respectu angeli comparatur tamquam potentiale quid.

26. Et iuxta hanc interpretationem non est magna diversitas inter opiniones theologorum de loco angelorum, quibusdam dicentibus angelum esse in loco per operationem; aliis vero, per substantialem praesentiam. Nam si priores locuti sunt de loco extrinseco, posteriores vero de intrinseco *ubi*, dicunt quidem diversa, non tamen contraria, nisi fortasse in verborum contentione. Si vero qui priori modo opinantur negare intendunt intrinsecum *ubi* angelorum, vel illud constituere necessario dependens ab actuali operatione in corpus, sic erit dissensio in re, et in eo sensu nullo modo probare possumus illam sententiam. Et similiter, si auctores posterioris sententiae ita constituunt *ubi* intrinsecum in angelis, ut illud sit sufficiens ratio ob quam dici possit angelus esse in alio tamquam in loco, sic non probamus illam sententiam. Distinguendo igitur inter proprium *ubi* et locum extrinsecum, facile, ut existimo, et res ipsa intelligitur, et locutiones accommodantur.

Satisfit fundamentis aliarum opinionum

27. *Primo.*— Ad primum fundamentum primae sententiae in praecedenti sectione positum, negatur assumptum, nimirum, *ubi* ut sic intrinsece fundari in quantitate molis; existimamus enim universalius quid esse *ubi* quam sit quantitas, nam praeter *ubi* corporeum et circumscriptivum, datur *ubi* spirituale et definitivum quod non indiget quantitate. Cum vero obiicitur esse alicubi idem esse quod replere vel constituere spatium reale, respondetur, si nomine spatii realis intelligatur quod actu habet dimensiones reales et quantitativas, sic constituere vel replere spatium non esse de ratione *ubi* ut sic, sed solius *ubi* circumscriptivi seu quantitativi. Et haec sine dubio est proprietas illius vocis *spatii realis*, nam nomine spatii nos intelligimus distantiam includentem dimensiones quantitativas; unde cum addimus *reale*, nil aliud significamus quam quod tale spatium propria quantitate molis repletum sit. Si autem nomine spatii latius utamur in ordine ad nostrum modum concipiendi, sic replere spatium esse potest et quantitative et substantialiter seu praesentialiter, quod nihil aliud est quam ibi adesse ubi corpus adest, vel ubi intelligimus posse adesse corpus. Et hac ratione explicamus hoc *ubi* per ordinem ad spatium imaginarium, non quia tale spatium aliquid sit, sed quia nos illo modo concipiendi indigemus ad explicandum hos modos rerum et relationes vel habitudines inde resultantes inter res alicubi existentes. Sicut supra tractantes de duratione saepe usi sumus conceptione temporis vel successionis imaginariae, quia non possumus aliter explicare rationem durationis, nec habitudinem prioris et posterioris unius ad aliud, quamvis ipsa imaginaria successio in re nihil sit.

28. Unde ad secundum argumentum, quod ad situm attinet, negamus inde sequi quod habeat locum in re spirituali, quia nec situs et ubi sunt omnino idem, nec situs dicit modum cuiuscumque *ubi*, sed corporei, ut sequenti disputatione explicaturi sumus. Quod vero attinet ad distantiam, dicendum est hoc etiam nomen distantiae posse esse aequivocum, nam in locali distantia, de qua sola est sermo, multa concurrunt. Primum, extrema quae distare dicuntur; deinde illud intervallum quod est inter talia extrema, ratione cuius distare dicuntur; tertium, relatio distantiae quae in ipsis extremis resultare creditur. Potest ergo distantia dici realis, vel quia haec omnia sunt realia, vel saltem quia extrema realia sunt, etiamsi inter ea nulla vera res interposita sit. Ut latera huius aulae tantum inter se distant, quia talia *ubi* habent, inter quae tanta longitudo realis quantitatis interponitur; tamen si Deus auferret aerem interiectum et spatium vacuum relinqueret, revera aequae illa latera inter se distarent vere ac realiter; immo etiam, ut opinor, eandem relationem distantiae retinerent, quia haec non fundatur in reali medio interiecto, sed in ipsis extremis realibus ut habentibus talia *ubi*, et ad eadem terminatur. Quamquam vero haec distantia realis per se ac formaliter non consistat in reali quantitate interiecta actu, necessario tamen illam postulat in actu vel potentia; ideo enim tanta est distantia,

quia tanta dimensio quantitatis est vel esse potest inter talia extrema neque aliter a nobis concipi aut mensurari potest.

29. Cum igitur in illo argumento infertur posse esse distantiam inter res spirituales secundum se, variis modis accipi potest illa particula *secundum se*: primo, ut significet substantiam spiritualem ut sic posse esse extremum distantiae realis et habere in se fundamentum eius, et consequenter etiam relationem, si habeat extremum ad quod possit terminari; et quoad haec omnia concedo substantiam spiritualem esse capacem distantiae, vel a corpore, vel a substantia spirituali, ut statim dicam. Deinde potest illa particula *secundum se* cadere supra distantiam, prout significat ipsum intervallum quod est inter extrema quae distant, ita ut sensus sit substantiam ipsam spiritualem per seipsam constituere et quasi formaliter causare illud intervallum; et hoc negandum est, quia nec sequitur ex dictis, nec est in rigore verum. Nam, licet angelus habere possit suum intrinsecum *ubi* in illa distantia, tamen ipse non est causa quod illa distantia habeat latitudinem vel extensionem, sed haec, si realis sit, semper fit per quantitatem; si vero non sit realis, nullam realem causam requirit in actu, sed aptitudine, quia talis distantia nec esse nec intelligi potest nisi quatenus quantitate molis repleti potest. Unde alius sensus esse potest inter angelos secundum se, id est, inter solas substantias angelicas posse esse distantiam, etiamsi nulla realis quantitas sit in rerum natura; et hunc sensum verum esse credimus, quia ad hoc sufficit spatium imaginarium, quod nos concipimus ut aptum repleti quantitate. Possunt enim duo angeli habere duo *ubi*, ratione quorum fundent inter se relationem distantiae, quia possunt ita se habere ut inter eos possit tantum corpus interponi sine eorum mutatione, quod satis est ad distantiam, etiamsi de facto tale corpus interpositum non sit. Exemplum est manifestum in distantia durationis, nam, secluso omni tempore vel successione reali, potest unus angelus esse prior vel posterior alio duratione, et ita quamvis in eis aut inter eos non sit realis extensio temporis, nihilominus possunt inter se duratione distare, si Deus prius unum creet quam alium; quae distantia a nobis non concipitur nisi per ordinem ad successionem imaginariam et ad tempus reale quod posset inter illas duas creationes angelorum intercedere. Ad eundem ergo modum philosophandum est de distantia locali; haec enim ob similem causam non semper requirit quantitativam extensionem in rebus quae distare dicuntur, neque etiam in medio intervallo, quamvis sine ordine ad illam seu capacitatem eius non possit illa distantia intelligi a nobis.

30. *Tertium fundamentum dissolvitur.*— Unde ad tertium argumentum negandum est antecedens; iam enim ostensum est quod, licet angeli crearentur ante mundum corporeum, haberet unusquisque suum proprium et intrinsecum *ubi*. Concedo etiam habituros fuisse inter se distantiam vel propinquitatem localem, haec enim in intrinseco *ubi* fundantur, etiamsi desit extrinsecus locus. Quod patet in corporibus; posset enim Deus creare alium mundum cuius ultima sphaera distaret ab ultima sphaera huius mundi per centum aut mille stadia, aut quantum Deus vellet, ut in superioribus ostensum est, tractando de Dei immensitate. Eadem est autem ratio quoad hoc de substantiis spiritualibus, nam ad distantiam satis est quod inter extrema realia sit intervallum, quod posset tanta extensione quantitatis repleti; quod autem illa extrema sint extensa, aut indivisibilia, vel incorporea, parum refert, quia illa non causant distantiam, sed sunt in terminis ipsius distantiae. Quod ita declaratur, nam si unus angelus esset in caelo empyreo huius mundi, et alius in ultimo caelo alterius mundi, revera inter se distarent aequae ac ipsi caeli, quia definirentur locis illorum, ut suppono; ergo, si Deus annihilaret utrumque mundum corporeum et conservaret illos angelos intrinsece immutatos, adhuc inter se distarent, quia retinerent idem fundamentum distantiae; ergo eadem ratione, licet crearentur ante mundum corporeum, potuissent creari distantes substantialiter. Et ratio a priori est quia nullus eorum est immensus, sed unusquisque habet definitum *ubi* quod esse potest extra *ubi* alterius. Quia vero neque ex natura sua determinant in particulari hoc aut illud *ubi* neque etiam se excludunt ab eodem spatio, sicut corpora, ideo etiam possent creari propinqui vel intime sibi praesentes substantialiter, pro voluntate creatoris.

31. *Sursum et deorsum et aliae huiusmodi differentiae an habeant locum in angelis.*— Quod vero in illo argumento addebatur de differentiis sursum vel deorsum, non sequitur eas

habere locum in angelis, seclusis corporibus, quia non sumuntur ex praecisa ratione *ubi*, sed proprie ex partibus heterogeneis hominis seu animalis et sitibus ac peculiaribus virtutibus operativis earum, et inde per metaphoram applicatae sunt ad totum hoc universum seu caelum et ad diversas partes eius. Aliis vero rebus tribuuntur in quantum sunt simul cum illis partibus mundi vel in sitibus earum, et sic beati dicuntur esse sursum, damnati vero deorsum. Quapropter, seclusis corporibus et ordine partium huius mundi, non posset illa denominatio spiritibus attribui. Sicut etiam, si Deus crearet duos mundos inter se distantes, neuter esset sursum aut deorsum.

Substantia incorporea non semper et ex necessitate habet adaequatum ubi

32. Circa confirmationem illius argumenti, in qua quaeritur an, seclusis corporibus, angelus alicubi existens esset totus in toto et totus in qualibet parte, vel quomodo esset, advertendum est quod, licet angelus iuxta dignitatem et perfectionem suae naturae determinet sibi certam sphaeram, cui exhibere potest suam praesentiam substantialem, non tamen toti illi semper adest ex necessitate naturali, sed potest esse in minori et minori atque etiam in puncto, ut frequentius docent theologi, cum D. Thoma, I, q. 52, a. 1, et In II, dist. 2, ubi late Greg., q. 2, et Maior, q. 4, Bonav., et alii. Solus Scotus videtur hoc in dubium revocare, tandem vero in eandem descendit sententiam, quam etiam tenet Ocham, Quodl. I, q. 4. A qua nonnulli moderni dissentiunt, dicentes angelum ex necessitate habere semper adaequatum *ubi*, seu adaequatam praesentiam suae substantiae. Fundantur, tum quia Deus semper ac necessario habet huiusmodi praesentiam substantiae suae; tum etiam quia haec praesentia convenit angelo ratione suae perfectionis; sed necessario semper habet tantam perfectionem; ergo tantam praesentiam.

33. *Deus cur necessario habeat adaequatam praesentiam, non angelus.*— Quare corpus necessario exhibeat totam suam praesentiam.— Sed haec argumenta levia sunt. Est enim longe diversa ratio de Deo, tum quia immutabilis est, tum etiam quia praesentia eius nullo modo distinguitur in re a substantia eius; utrumque autem secus in angelo. Et propterea etiam non recte colligitur necessitas actualis praesentiae adaequatae ex necessitate naturalis perfectionis, quia haec duo distinguuntur ex natura rei in angelo; et quamvis praesentia consequatur ad perfectionem naturalem, non tamen naturali dimanatione ad modum propriae passionis, sed per applicationem liberam voluntatis seu virtutis motivae, vel pro voluntate creatoris, si loquamur de primo *ubi* concreato cum angelo. Est ergo in hoc differentia inter corpus et spiritum, quod corpus affectum determinata quantitate, necessario (necessitate naturali) habet *ubi* et occupat spatium adaequatum suae quantitati, angelus vero minime. Et ratio discriminis est quia in corpore *ubi* et occupatio spatii provenit ex naturali repugnantia quam partes quantitatis habent inter se respectu eiusdem spatii; at vero quod substantia spiritualis finita sit praesens spatio extenso non provenit ex aliqua necessitate sibi intrinseca, et ideo est illi voluntaria intra terminum sibi possibilem iuxta perfectionem suam. In quo est notanda differentia inter rationalem animam et substantias angelicas, quod illa, quia est vera forma corporis, naturaliter non creatur nisi in corpore et cum unione ad corpus, et ideo semper creatur cum praesentia proportionata et adaequata corpori in quo creatur, et quamdiu est unita corpori, eadem necessitate naturali habet praesentiam suo corpori adaequatam; postquam vero separatur a corpore, habet in hoc eandem indifferentiam quam aliae substantiae angelicae, quae, cum non sint formae corporum, ex intrinseca natura sua non determinantur ut in aliqua certa extensione suam praesentiam exhibeant.

34. Ex hoc vero exemplo potest confirmari communis sententia, nam rationalis anima non semper habet praesentiam sibi adaequatam simpliciter; nam, quando est in corpore parvo, non habet tantam praesentiam quantam in magno, neque in corpore mutilo, sicut in integro. Nisi quis fortasse fingat (quod aliquando virum theologum asserentem audivi), quando homini abscinditur manus, non amittere animam praesentiam ad illud spatium in quo erat manus, etiamsi amittat unionem, sed manere partim in corpore mutilo, partim extra, praesens illi aeri, verbi gratia, qui est contiguus brachio. Quod quam sit absurdum, satis per se constat; alias pari ratione dicendum esset anima pueri in instanti conceptionis non esse tantum in corpusculo eius, sed esse quasi circumfusam per tantum spatium, quantum occupare posset maximum corpus, quod a tali anima potest informari, quia tanta praesentia est absolute adaequata tali animae;

atque ita fieret ut anima, licet crearetur tota informans, non tamen totaliter intra corpus, quia simul esset praesens multis corporibus quae non informaret, quod absurdissimum est et parum consentaneum sanae doctrinae. Si ergo substantia animae non necessario determinat totam praesentialitatem quam habere potest, cum magis accedat ad corpora, neque angeli illam determinabunt.

35. *Angelus creatus extra corpora, quomodo est alicubi.*— Cum ergo in illa confirmatione inquiritur quomodo esset angelus alicubi, si Deus illum crearet extra corpus, respondendum est ita fore sicut creator vellet illum constituere, quia tunc haberet *ubi* per concreationem, et non determinaret ex natura sua modum seu extensionem necessariam sui *ubi*. Et ideo determinatio sumenda est ex efficientia creatoris pro instanti primo creationis, nam postea posset mutari pro voluntate angeli, in quo eandem rationem esse censemus de angelo creato extra omnia corpora, vel intra illa.

36. Cum vero obiicitur quod angelus tunc non posset esse totus in toto et totus in qualibet parte, quia tunc non esset totum aut pars, respondetur primum esse aequivocationem in illo verbo *esse in*, nam licet, quando loquimur de angelis per comparisonem ad corpora, dicat habitudinem ad totum reale et ad partes eius, tamen cum loquimur de angelo alicubi existente sine corporibus, non indicat relationem ad corpus, sed talem modum existendi in ipso angelo, ratione cuius sine ulla sui mutatione potest esse praesens totus toti corpori et cuilibet parti eius, si ibi adesset, ita ut ille modus actu sit in angelo, habitudo autem quae significatur per *esse in toto*, etc., non sit actualis, sed aptitudinalis. Et ideo solet illud *esse in* per ordinem ad spatium imaginarium explicari, quia tunc angelus esset totus in aliquo spatio et totus in qualibet parte eius, quod supra latius explicuimus tractantes de immensitate Dei. Secundo dicitur quod, licet in substantia angeli non sit totum et pars neque etiam tunc esset in corpore praesente angelo, quia supponimus nullum esse, in ipso *ubi* angelico est totum et pars, quia revera habet aliquam extensionem non ex subiecto, sed ex se et nostro modo intelligendi ex ordine ad spatium, ut supra declaratum est tractando de immensitate. Tunc ergo dici potest angelus esse in toto et in qualibet parte respectu sui *ubi*, et tota substantia eius esse in toto *ubi*, et tota sub qualibet parte eius. Tertio, potuisset tunc Deus, si vellet, creare angelum in puncto, non reali, quia supponimus nullum esse, sed nostro modo intelligendi secundum quamdam habitudinem ad illud, quia, nimirum, in ipso spatio imaginario concipimus et dimensiones quantitatis et puncta, et ideo cum angelus non necessario requirat extensionem secundum se, neque etiam in praesentia sua, posset cum indivisibili *ubi* creari, sive in corpore, sive extra illud.

37. *Ubi praedicamentale in Deo non est.*— Ad ultimum, quod attingit materiam de *ubi* ipsius Dei, quoniam coincidit cum materia de immensitate quae superius fuse est tractata, hic solum addendum est *ubi* praedicamentale non habere locum in Deo, quia *ubi* praedicamentale est accidens et modus ex natura rei distinctus a substantia; unde tale *ubi* semper est finitum et limitatum. Praesentia vero Dei, quae est eius immensitas, est infinita et non est modus, sed formaliter est ipsamet substantia Dei; unde neque est accidens, neque est ullo modo mutabilis in Deo. Loquendo ergo de hoc *ubi*, neganda est sequela argumenti. Si vero esset sermo de praesentia substantiali, abstrahendo a modo accidentali, sic verum est in hoc servari proportionem quod sicut substantia spiritualis finita est alicubi, etiamsi non sint corpora, ita substantia divina per seipsam est ubique, dummodo illud *ubique* non dicat habitudinem realem¹³ ad extrinsecum locum, sed solam rationem existendi divinae substantiae, quae ex se ita est immensa, ut sine sui mutatione apta sit esse intime in quovis loco. Et hoc non negant scholastici ibi citati, sed potius hac ipsa distinctione utuntur, quamvis significant vocem *ubique* in proprietate indicare consortium rerum omnium in quibus Deus sit; quod nihil obstat veritati rei quam explicuimus. Vide Anselm., in Monolog., c. 22.

38. Ad illationes vero, quas infert illa sententia, respondere non est necesse, quia iam destructum est fundamentum ex quo illae inferuntur et contrarias assertiones veras esse ostensum est.

¹³ realem, 1960; *alit.* actualem. “*actualem* en algunas ediciones.” Cf. BHF, v. VII, p. 343.

SECTIO V

UTRUM UBI SOLIS SUBSTANTIIS CONVENIAT, VEL ETIAM ACCIDENTIBUS

1 *Ratio dubitandi.*— Ratio dubitandi esse potest quia *ubi* solis illis rebus convenit quibus motus localis convenire potest, cum *ubi* sit terminus motus localis; sed solae substantiae proprie localiter moventur, accidentia vero tantum per accidens, ratione substantiarum. In contrarium vero est quia accidentia propriissime dicuntur esse hic aut ibi; hae autem sunt denominationes sumptae ex *ubi*, et non extrinsecae, sed intrinsecae; ergo.

Prima assertio de ubi quantitatis

2. *Quantitas habet proprium ubi distinctum in re ab ubi substantiae.*— In hac re, ut a clarioribus initium sumamus, dicendum est quantitatem habere suum proprium *ubi* in re ipsa distinctum ab *ubi* substantiae. Hanc veritatem nobis praecipue manifestavit Eucharistiae mysterium, in quo facta transubstantiatione manet tota quantitas panis, retinens idem numero *ubi* quod ante consecrationem habebat, et illud est *ubi* proprium quantitatis, nam ratione illius dicitur quantitas hostiae consecratae esse ibi; ergo. Dicitur fortasse hoc argumento solum probari manere ipsum *ubi* substantiae panis, quod antea quidem ipsam substantiam afficiebat media quantitate, postea vero afficit solam quantitatem; unde non probat quantitatem habere proprium *ubi* distinctum ab *ubi* substantiae. Sed contra, quia imprimis argumentum factum concludit illud *ubi* quod manet in quantitate esse realiter distinctum a substantia, a quantitate autem ipsa solum distingui modaliter. Primum patet, quia post consecrationem non manent nisi accidentia realiter distincta a substantia, ut alibi dictum est. Item, quia quantitas est res distincta a substantia; ergo si ille modus identificatur realiter quantitati solumque modaliter ab ea distinguitur, necesse est ut a substantia realiter distinguatur. Denique quia¹⁴ posset etiam Deus servare substantiam destructa quantitate et praesentia seu *ubi* eius; hoc autem est signum sufficiens distinctionis realis, scilicet, quando duo possunt mutuo separari et invicem permanere unum sine alio. Ut, e converso, signum sufficiens solius distinctionis modalis inter quantitatem et illud *ubi* est, quia tale *ubi* nullo modo potest a quantitate separari, ita ut sine illa conservetur in esse. Ac denique supra satis ostensum est *ubi* ex ratione sua habere quod sit modus tantum eius rei quam primo afficit et praesentem facit.

3. Ex quo ulterius facile ostendi potest hoc *ubi* quantitatis esse distinctum a proprio et intrinseco *ubi* quo substantia materialis in se immediate afficitur et fit praesens, etiam dum quantitati subest. Primo quidem, quia posset Deus quantitatem separare a substantia, corrumpendo quantitatem et conservando substantiam omnino immutatam localiter, quod supra late probatum est, cum de quantitate ageremus, neque in eo fingi potest ulla implicatio contradictionis; tunc ergo retineret substantia proprium et intrinsecum modum praesentiae, qui non potest nisi ad *ubi* pertinere; unde secundum illud posset illa substantia divina virtute mutari et in alium locum transferri. Secundo, quia substantia non solum est praesens hic per denominationem a quantitate vel a modo quantitatis, sed necesse est ut habeat intimam praesentiam, quae sit intrinsecus modus eius, tum ob generalem rationem, quia praesentia semper est modus intrinsecus rei praesentis; tum etiam quia inter quantitatem ipsam et substantiam eius est etiam intima et mutua praesentia et relatio, quae in utroque extremo habet fundamentum; illud autem non est ex parte substantiae sola entitas eius, nam posset esse in rerum natura illa entitas substantiae, et quantitas cum eodem *ubi*, et non sequi inde relatio, ut patet, si Deus substantiam, verbi gratia, panis Eucharistiae non commutaret in aliam, sed transferret in alium locum et ibi conservaret. Neque etiam est tale fundamentum ipsa inhaesio quantitatis, quia potius illa praesentia ordine naturae antecedit inhaesionem, saltem ex parte subiecti, ut statim explicabo; et maxime quia ablata inhaesione posset Deus conservare illas duas entitates cum intima praesentia, sicut supra dictum est in similibus.

4. Denique est alia ratio, quia substantia est simpliciter prior ordine naturae quam quantitas; ergo ut sic supponitur quantitati cum omnibus conditionibus requisitis ad causandum materialiter in suo genere ipsam quantitatem; una autem ex conditionibus requisitis est esse hic

¹⁴ quia, 1960; *alit. om.* “Falta este *quia* en algunas ediciones.” Cf. BHF, v. VII, p. 344.

et nunc, nam sicut debet esse res singularis, ita etiam debet habere conditiones existendi determinatas et singulares; hanc ergo conditionem, quae est esse hic praesentem, non accipit substantia a quantitate formaliter. Et confirmatur ac declaratur ex dictis supra de anima rationali; habet enim suam praesentiam substantialem in corpore humano aequae intimam et indistantem a quantitate ac ipsamet materia, non tamen cum simili unione, nam anima et quantitas non uniuntur immediate, sicut materia et quantitas. Unde non habet anima suam praesentiam formaliter a quantitate, sed simul cum illa. Rursus inter ipsam animam et substantiam corporis est mutua praesentia substantialis, quae formaliter saltem et essentialiter non est a quantitate; potest enim de absoluta potentia Dei sine quantitate conservari, illa autem praesentia nihil aliud est quam quoddam ubi proprium substantiae; ergo idem intelligendum est de omnibus substantiis corporeis.

Obiectionibus satisfi

5. Dices: communis omnium sententia est substantiam corpoream non esse in loco, nisi media quantitate; si autem unaquaeque earum habet suum proprium et intrinsecum *ubi*, non magis substantia est in loco ratione quantitatis, quam e contrario; ergo. Item si quantitas habet suum proprium *ubi* et illud communicat substantiae corporeae, quid necesse est aliud in ipsamet substantia multiplicari? Praeterea, alias quot essent accidentia in re distincta, tot essent multiplicanda *ubi* in unaquaque substantia, quod et novum videtur et supervacaneum.

6. *Qualiter dicatur substantia materialis esse in loco ratione quantitatis.*— Respondetur substantiam materialem imprimis esse in loco ratione quantitatis, loquendo proprie de loco extrinseco a quo continetur et circumscribitur. Est enim advertendum, cum dicitur rationem essendi in loco esse quantitatem intrinsecam ipsius corporis, non esse sermonem de ratione formali quae denominet rem existentem in loco, haec enim est potius superficies corporis continentis; nam sicut ratio formalis essendi album est albedo informans, ita ratio essendi in loco (quod non est aliud quam esse locatum) est ipsemet locus, ut actualiter locans et continens. Est ergo in ea locutione sermo de ratione formali quae ex parte subiecti se tenet et constituit illud capax talis loci, et huiusmodi ratio dicitur in corporibus esse quantitas finita, quia per illam redduntur apta ut circumscribi possint et extrinseca superficie terminari, quantum est ex se; nam substantia sola, quantitate carens, cum penetrabilis sit cum quacumque quantitate, nec contingi potest physice, nec contineri extrinseca superficie.

7. Rursus si loquamur de *ubi*, duplex distinguendum est, unum circumscriptivum seu potius circumscriptibile, aliud definitivum, quam distinctionem latius declarabimus sectione sequenti. Substantia ergo materialis habet ratione quantitatis quod sit priori modo alicubi ratione quantitatis, et propterea modus ille dici etiam solet quantitativus; consistit autem in hoc quod res quae sic existit alicubi, necessario habet partes suas aliquo modo distantes in partialibus locis, ita ut una non sit intime praesens alteri, nec se possint penetrare, naturaliter loquendo. Tota autem ratio sic existendi alicubi provenit a quantitate, quod in sensu superius explicato intelligendum est; nam actualiter sic esse alicubi habet res quanta ab ipso *ubi* quantitativo; tamen aptitudinem naturalem et necessitatem sic existendi habet a sola quantitate, a qua id participant substantia et reliqua omnia quae insunt, ut constat ex dictis superius, disp. XL. Nam partes substantiae non repugnarent inter se, quoad intimam praesentiam, nisi essent affectae quantitate. At vero quoad alium modum essendi alicubi definitive, qui tantum consistit in praesentia ad certum spatium definita, non habet substantia per quantitatem quod sit capax talis praesentiae, sed ex hoc solum quod est talis entitas et in rerum natura existens talem modum essendi postulat. Unde etiam angeli immediate et per suam substantiam, et sunt capaces proportionati modi existendi alicubi, et semper aliquem determinatum modum requirunt.

8. Et hinc patet responsio ad alteram interrogationem, nam quia substantia corporea, licet sub quantitate sit, est distincta res ab illa et natura sua prior illa, ideo ex se necessario secum affert extrinsecum modum praesentiae sibi realiter identificatum et distinctum a modo praesentiae quantitatis. Quid enim plus habet quantitas, ob quod secum afferat praesentiam seu ubicationem sibi accommodatam, quam ipsa substantia? Sicut ergo quantitas, hoc ipso quod est,

necessario se exhibet alicubi praesentem, ita etiam substantia ex vi suae entitatis, si praecise ac separatim consideretur. Solum est differentia in modo praesentiae, ut iam explicuimus. Quod autem illae duae praesentiae naturaliter colligatae sint, et variata una varietur etiam alia, hoc non tollit distinctionem, sed provenit ex coniunctione ipsarum rerum quibus tales praesentiae radicantur. Et in argumentum distinctionis sufficit quod simpliciter non repugnat unam ab altera separari, et e converso.

Altera assertio de ubi aliorum accidentium

9. Hinc consequenter dicendum est ubi in tota sua latitudine sumptum non coarctari ad solas substantias, neque inter accidentia soli quantitati convenire, sed reliquis etiam accidentibus, sive corporalibus sive spiritualibus, quae in rerum natura existunt. Hanc assertionem mihi satis probat tertia obiectio supra proposita, in qua hoc tamquam inconueniens inferebatur; nam revera, consequenter loquendo, optime infertur; argumenta enim tacta de substantia et quantitate aequae probant de qualibet alia entitate; nam si albedo, verbi gratia, est in rerum natura, etiamsi intelligatur servari sola sine quantitate, necessario se exhibet praesentem alicubi modo sibi accommodato. Et in Eucharistia (ut alibi ostendi) posset Deus servare albedinem sine quantitate, quod similiter posset facere conservando albedinem omnino immutatam localiter, atque adeo conservando illam aequae indistantem ab aliis rebus quae antea erat, nam in hoc nulla est repugnantia; ergo signum est habere albedinem proprium ubi quasi definitivum, distinctum ab ubi quantitativo et proprio quantitatis. Quod autem in albedine explicuimus eiusdem rationis est in quolibet accidente corporeo et in accidentibus etiam spiritualibus, ut sunt potentiae angelicae; nam licet necessario comitentur suam substantiam et sint ubicumque est illa, nihilominus in eis vere est proprius praesentiae modus, quem unaquaeque retinere posset, si sola conservaretur, destructa omni alia entitate.

10. Quapropter, mea sententia non recte sentiunt qui dicunt substantias separatas esse in loco per potentiam operandi in loco, et non per substantiam ut sic; nam si sit sermo de esse in loco extrinseco, ad hoc non sufficit potentia, sed necessaria est operatio qua contingant locum seu rem loco contentam, iuxta ea quae explicuimus superiori sectione. Si vero loquantur de esse in loco ut tantum dicit esse alicubi per ubi intrinsecum, sic falsum est substantiam esse alicubi ratione potentiae, potius quam ratione sua; immo aliquo modo potentia comitatur substantiam, quamvis etiam ipsa, ratione suae entitatis, si illam propriam habeat, suum peculiarem modum praesentiae seu ubicationis requirat.

11. Ad obiectionem ergo tertiam, quae solum fundatur in quadam admiratione de multiplicatione modorum *ubi*, dicendum est non esse maiorem rationem admirationis in *ubi*, quam in *quando* seu duratione. Sicut ergo unaquaeque res hoc ipso quod habet propriam et intrinsecam existentiam, habet etiam propriam et intrinsecam durationem, ita etiam habet propriam et intrinsecam praesentiam, quamvis non aequae identificatam; non est enim necesse similitudinem tenere in omnibus. Tamen, quia omnia accidentia eiusdem subiecti sunt ibi per modum unius, et cum illo constituunt unum aliquo modo, et quia illius praesentiam semper naturaliter sequuntur, ideo illius totius compositi dicitur esse aliquo modo unum *ubi*, quamquam revera illud non sit proprie ac per se unum in suo genere, sed congregatione quadam. Sicut etiam homo vestitus censebitur habere unum *ubi*, cum tamen dubium non sit quin vestes et corpus vestitum diversa habeant *ubi*.

Responsio ad rationem dubitandi initio positam

12. Et hoc etiam confirmari potest exemplo motus localis (ut simul rationi dubitandi in principio positae respondeamus); dicitur enim una res per accidens moveri ad motum alterius, non quia vere et in se non mutetur, alioqui non proprie, sed per metaphoram aut denominatione extrinseca mutari diceretur. Sed illud *per accidens* perinde est ac per aliud; tunc enim dicitur res sic moveri per accidens, quando motus non exercetur primo et per se circa illam, sed circa aliam, quae alteram secum trahit, ut plane constat de homine qui movetur in navi, vel de vestibus quae moventur cum homine. Ad hunc ergo modum intelligendum est moveri accidentia ad motum subiecti per accidens, non quod ipsa non vere et in se mutantur, nam revera mutant

locum et *ubi*, et consequenter etiam mutant relationes propinquitatis vel distantiae ad res alias, sed quia quasi deferuntur ad motum subiecti.

13. *Ubine per se aut per aliud ubi sit in loco.*— Sed instabit tandem aliquis, quia si accidentia habent propria *ubi*, cum ipsum etiam ubi sit quoddam accidens, habebit etiam suum *ubi* distinctum ab *ubi* subiecti, et ita procedetur in infinitum. Respondetur vulgari solutione, quae in simili processu dari solet, unumquodque *ubi* seipso esse praesens ubicumque suum formalem effectum exercet. Nam quando ipsa forma aliquo modo participat suam rationem et quasi effectum formalem, non per aliam formam, sed seipsa id habet, sicut supra in simili dictum est de quantitate. In praesenti vero peculiariter hoc declaratur ex differentia notanda inter *ubi* et alia accidentia, quod in ipso *ubi* nunquam potest mutari praesentia localis, in aliis vero potest, exceptis solis relationibus propinquitatis et distantiae, quae fundantur in ipso ubi et ideo imitantur illud. Ratio vero est quia alia accidentia fiunt praesentia per modum distinctum, *ubi* vero seipso, et ideo non potest praesentiam mutare, quia non potest mutare suammet entitatem. Sicut etiam supra dicebamus actionem non posse mutare respectum transcendentalem ad agens, quia non alia actione, sed seipsa fit; et ideo si respectus ad agens mutatur, non mutat actio respectum, sed in subiecto vel effectu mutatur actio, et una tollitur et alia loco illius succedit. Ad eundem ergo modum, quando subiectum mutat praesentiam, non mutat ipsum *ubi* respectum praesentiae, sed unum *ubi* tollitur et aliud loco illius fit in re alicubi existente. Et hoc modo convenit *ubi* esse immutabile, quam proprietatem attribuit Aristoteles loco, in IV Phys.; propriissime vero et radicaliter (ut sic dicam) convenit ipsi *ubi*, nam loco extrinseco non convenit nisi secundum formalem quamdam considerationem superficiei ut existentis in *tali* ubi et quatenus omnes superficies ibi succedentes illam formalitatem participant, de quo alibi latius.

SECTIO VI

QUOMODO DISTINGUENDUM ET ORDINANDUM SIT PRAEDICAMENTUM UBI, QUAEVE PROPRIETATES ILLI TRIBUANTUR

1. Ex dictis in praecedentibus sectionibus facile est reliqua omnia, quae ad intelligentiam huius praedicamenti pertinere possunt, breviter colligere.

Divisio ubi in definitivum et circumscriptivum exponitur

2. Primo enim ex dictis constat posse in hoc praedicamento assignari unum supremum genus, quod per essentielles differentias dividi potest in species subalternas usque ad ultimas et usque ad individua. Haec autem coordinatio satis accommodata fit, si divisionem illam quae de loco seu potius de esse in loco dari solet, scilicet, vel definitive vel circumscriptive, ad ubi accommodemus. Quae divisio sumpta est ex Damasceno, lib. I de Fide, c. 17, et lib. II, c. 3, quamvis ipso verbo *definiendi* aut *definitive* non utatur, sed solum verbo circumscribendi; declarat tamen non habere eandem vim in rebus spiritualibus et in corporalibus, et ad hanc diversitatem significandam usi sunt theologi illis duobus vocibus *circumscriptive* et *definitive*. Dicitur ergo res esse alicubi circumscriptive, quando ita ibi est, ut sit tota in toto, pars in parte spatii quod occupat; definitive autem dicitur esse aliquid quod ita est alicubi, ut intra definitivum spatium contineatur, nec simul possit extra illud naturaliter esse. Est autem subintelligenda negatio extensionis, nam alias etiam id quod est circumscriptive in loco, erit etiam definitive, quia non potest naturaliter simul esse in alio *ubi*; quo sensu illud *esse definitive* potest generice sumi prout distinguitur ab esse ubique, quod est proprium Dei. Ut ergo illa sit ratio specifica, subintelligenda est negatio, videlicet, ut res illa dicatur esse definitive in loco, quae licet non habeat in loco extensionem partium, intra certos tamen limites ita continetur, ut extra illud *ubi* naturaliter esse non possit. Atque ita illa divisio fere coincidit cum divisione *ubi* in corporeum et spirituale, quae duo membra esse specie diversa superius ostensum est.

Prima obiectio contra divisionem eiusque solutio

3. *Punctum an circumscriptive an definitive in loco sit.*— Sed obiicere quis potest, nam punctum habet etiam suum ubi, in quo non est extensio partium, ut possit esse totum in toto et totum in qualibet parte, et tamen punctum non dicitur esse alicubi definitive, sed potius

circumscriptive. Respondetur primo non oportere ut *ubi* ipsius puncti in illa divisione contineatur, quia, sicut Aristoteles dixit punctum non esse in loco per se sed per accidens, et sicut punctum non est quantitas sed principium quantitatis, ita nos dicere possumus punctum non habere *ubi*, sed principium *ubi* corporei. Unde ulterius dicitur eo modo quo illud est *ubi*, reduci ad circumscriptivum; et in descriptione *ubi* definitivi subintelligendum etiam erit sub negatione extensionis partium comprehendi negationem essendi in loco per modum principii talis extensionis; quod alio modo dici solet esse indivisibile ut habens positionem in continuo.

Secunda obiectio et responsio

4. Dices rursus: intrinsicum *ubi* substantiae materialis et accidentium etiam materialium, praeter quantitatem, est divisibile, ita ut ratione illius totum sit in toto et pars in parte, et tamen ex se non est *ubi* circumscriptivum, nam hoc per se primo soli quantitati convenit, et non alteri nisi ratione illius. Ad hoc duobus modis responderi potest, ut adaequata sit divisio. Primo, omne *ubi* rei materialis comprehendi sub *ubi* circumscriptivo, quia, licet ex se et per se non necessario habeat extensionem partium in ordine ad locum, sed ratione quantitatis, tamen ex natura sua postulat ut media quantitate habeat illam extensionem. Unde *ubi* circumscriptivum subdistingui potest, nam unum est per se tale ex vi sua seu ex natura illius subiecti quod proxime afficit. Aliud vero est quod non habet praedictam extensionem ex vi sua, tamen aptum est illam habere media quantitate. Et iuxta hanc interpretationem, si substantia materialis esset alicubi sine quantitate per divinam potentiam et absque novo miraculo, haberet *ubi* materiale et circumscriptivum, quia licet secundum illum statum non necessario esset tota substantia in toto et pars in parte spatii ratione praesentiae seu *ubi* quod tunc haberet, tamen natura sua semper postularet hunc modum essendi in loco media quantitate.

5. Secundo dicere possumus omne *ubi*, praeter illud quod est proprium quantitatis, pertinere ad modum essendi definitive in loco, atque ita substantiam materialem dupliciter esse *ubi* adest, scilicet, et definitive et circumscriptive. Non quatenus unum horum includitur in alio, sed per modos specie diversos, quorum unus per se et ratione sui convenit tali substantiae, alius per accidens seu per aliud, nimirum, per denominationem et coniunctionem ad quantitatem; unde prior est inseparabilior a substantia quam posterior, ut patet in substantia materiali conservata sine quantitate, quae, iuxta hanc interpretationem, esset definitive alicubi et non circumscriptive. Et hic modus loquendi videtur magis accommodatus communi usui; nam res non dicitur esse circumscriptive, nisi vel a superficie externa circumscribatur vel saltem circumscribi possit quantum est ex modo essendi alicubi, ut ultima sphaera; substantia autem carens quantitate non ita esset alicubi; esset ergo praesens potius definitive quam circumscriptive. Unde, cum dicitur in definitione essendi alicubi circumscriptive, quod sit totum in toto et pars in parte, subintelligendum est per se et ex intrinseca necessitate talis praesentiae, atque ita convenit soli *ubi* quantitativo. Unde ulterius *ubi* definitivum sic condivisum a circumscriptivo non convertitur cum *ubi* spirituali, sed potius subdividendum est; nam aliud est cui repugnat extensio partium, et hoc est immateriale; aliud vero cui non repugnat, quamvis ex se non necessario illam habeat, sed solum ratione adiunctae proprietatis. Et utrumque eorum potest ulterius dividi in *ubi* substantiae vel accidentis, et ita erit perfecta divisio.

Tertia obiectio dissolvitur

6. Rursus vero obiici potest quia in mysterio Eucharistiae habet corpus Christi suam praesentiam, quae vere spectat ad hoc praedicamentum, nam est quoddam accidens quatenus est quidam modus additus substantiae illius corporis, et non est alterius praedicamenti nisi huius; et tamen non continetur sub praedicta divisione, quia nec secundum illam habet extensionem partium in ordine ad locum, nec etiam ei repugnat esse alibi, unde nec circumscriptiva est nec definitiva. Sed haec obiectio petit theologicum dubium, quod a nobis late tractatum est in III tomo III partis, disp. XLVIII, sect. 3, scilicet, an Christus in Sacramento dicendus sit esse definitive; *ubi* diximus non oportere illam praesentiam sub hac divisione comprehendi. Nihilominus tamen probabiliter credimus illam praesentiam directe et proprie pertinere ad hoc praedicamentum, quia, si non pertineret, maxime quia est supernaturalis; hoc autem non obstat, quia etiam qualitates supernaturales directe pertinent ad praedicamentum qualitatis, quia, cum

finitae sint, possunt habere univocam convenientiam cum qualitatibus naturalis ordinis; ita ergo proportionaliter censeo de illa praesentia. Quapropter ut divisum et partitio totum ambitum huius praedicamenti comprehendat, oportet vel praemittere¹⁵ partitionem praesentiae localis in naturalem et supernaturalem, et deinde naturalem dividere in definitivam et circumscriptivam; vel certe, quod non incommode fieri potest, posset definitiva praesentia generaliter appellari omnis illa quae est absque extensione partium in spatio, seu qua res praesens est tota in toto et tota in qualibet parte, absque immensitate; et haec dividi ulterius posset in eam quae est connaturalis subiecto, vel supernaturalis, vel certe in eam quae natura sua est definita ad unum limitatum *ubi*, et eam quae non habet ex se tantam limitationem, quamvis non sit immensitas; talis enim probabiliter existimari potest sacramentalis praesentia corporis Christi, ut latius in citato loco declaravi.

Quarta obiectio expeditur

7. Quarto obiici potest circa eandem divisionem: nam Deus est etiam alicubi, cum sit ubique, et tamen neque est circumscriptive nec definitive. Verum haec obiectio potius declarat partitionem illam optime accommodari ad *ubi* praedicamentale; nam Deus non est alicubi per aliquod *ubi* pertinens ad hoc praedicamentum, quia eius immensa praesentia non est accidens, nec modus substantiae eius, sed omnino ipsamet essentia eius. Et hoc sensu negat Damascenus, lib. I, c. 6, Deum esse in loco, prout, nimirum, esse in loco dicit aliquid praedicamentale vel finitum, seu continentiam intra ambitum alicuius spatii determinati. Sic etiam Chrysostomus, homil. 5 ad Colos., dicit Deum nusquam esse, licet sit ubique. Et Augustinus, lib. LXXXIII Quaestionum, q. 20: Deum non alicubi est, quod enim alicubi est continetur loco; et lib. VIII Genes. ad litter., c. 26, dicit Deum esse sine tempore ac loco; et lib. de Essentia divin., vocat Deum illocalem, quod veluti declarans, serm. 8 de Verbis Domini, ait Deum non contineri in loco; et similia multa supra adduximus agentes de immensitate Dei.

Sitne dicta divisio generis in species

8. Ultimo obiicitur quod illa divisio non sit apta ad hoc praedicamentum constituendum, quia non est unius generis, immo nec univoca; nihil enim est frequentius in ore sapientium quam incorporalia non esse in loco nisi aequivoce, ut patet ex D. Thoma, III, q. 52, a. 1, et q. 53, a. 1; ergo *ubi* quod est commune incorporalibus et corporalibus non potest esse genus. Respondetur iam supra dictum esse in proprietate et rigore sermonis aliud esse adesse alicubi per intrinsecum¹⁶ *ubi*, aliud vero esse in loco. Illa ergo locutio dici solet de esse in loco extrinseco; immo D. Thomas, in priori loco citato, expresse declarat intelligi de esse in loco corporeo. Quo sensu sine dubio valde analogice dicitur de angelo et de corpore, quia in uno significat contineri a loco per contactum quantitativum, in alio vero significat contingere locum contactu virtuali seu operatione; unde, sicut quantitas vel contactus analogice dicitur de quantitate molis et virtutis, ita et esse in loco, de illis duobus modis. At vero proprie loquendo de intrinseco *ubi*, posset quidem illa locutio exponi de aequivocatione rei seu generis, eo nimirum modo quo dicuntur latere in genere aequivocationes, aut quo corruptibile et incorruptibile dicuntur genere differre. Loquendo autem metaphysice seu logice, revera est inter haec *ubi* univoca convenientia, quia utrumque confert formaliter rei quam afficit ut sit realiter praesens ac definita in certo spatio. Neque est cur abstrahi non possit commune genus a modo corporeo et incorporeo, aequae ac abstrahi potest a substantia vel qualitate corporea et incorporea.

9. Rursus vero hic inquiri poterat an omnia *ubi* corporum sint eiusdem speciei in hoc praedicamento, vel differant pro diversitate corporum, aut pro diversitate situum universi (et idem cum proportionem quaeri potest de incorporeis). Sed haec quaestio iam ad physicam pertinet, cum qua coniuncta est alia, an motus locales corporum omnes sint eiusdem speciei, et

¹⁵ praemittere, 1960; *alit.* praetermittere. “*praetermittere* que figura en algunas diciones nos parece menos conforme con el contexto.” Cf. BHF, v. VII, p. 355.

¹⁶ intrinsecum, 1960; *alit.* extrinsecum. “Nos inclinamos por esta lectura, frente al *extrinsecum*, que aparece en otras ediciones.” Cf. BHF, v. VII, p. 357.

ideo ab his quaestionibus nunc abstinemus. Probabilius tamen videtur omnia haec *ubi* esse eiusdem speciei differreque solum vel per respectus ordinis inter ipsa corpora seu partes eiusdem corporis, quomodo unum corpus dicitur esse sursum, aliud deorsum, vel per respectus ad subiectum, quomodo dicitur locus superior vel inferior esse naturalis vel violentus.

De proprietatibus ipsius ubi

10. Ultimo facile etiam est ex dictis proprietates ipsius *ubi* colligere. Quarum prima ac praecipua est quod sit immobile, quam in superioribus declaratam reliquimus. Et ex ibidem dictis colligere licet, sicut omne *ubi* immutabile est secundum locum, ita e converso omne *ubi* esse corruptibile, quantum est de se, quia ita ipsum est immutabile, ut semper sit in subiecto mutabili; per mutationem autem localem subiecti corrumpitur ipsum *ubi*. Et radix huius est, quia omne subiectum *ubi* habet finitum et limitatum *ubi*, et inde provenit ut mutare illud possit, et consequenter ut ipsum *ubi* possit corrumpi.

11. *Ubi intensione caret.*— Alias duas proprietates assignant Gilbert., Albert. et alii, negativas et fere communes caeteris praedicamentis extra qualitatem, nimirum, non posse intendi nec remitti et non habere contrarium. Et in priori nulla est difficultas, quia in illo modo praesentiae nulla est latitudo quoad intensionem; quoad extensionem vero in universum fere dici potest omne *ubi* habere latitudinem et suscipere magis vel minus, ut satis in superioribus declaratum est, tam in loco corporum quam spirituum. Dico autem fere, quia excipi potest locus indivisibilis, vel puncti, vel quem angelus habere potest per praesentiam ad solum punctum, iuxta probabilem opinionem. Sed non oportet exceptionem addere, quia hoc ipsum *ubi* indivisibile est suo modo principium *ubi* extensi per spatium, et ita sub illo continetur.

12. *Ubi quo sensu dicatur carere contrario.*— Quod autem spectat ad alteram proprietatem, recolendum est ex superius dictis disp. XLV, contrarietatem, etiam ut distinguitur ab oppositione privativa, aliam esse propriissimam, quae versatur inter formas sub eodem genere maxime distantes, aliam vero esse minus propriam, quae reperitur inter terminos alicuius latitudinis, quatenus ab uno ad alium successive potest transitus fieri, quomodo in augmentatione minor et maior quantitas censentur termini contrarii, et in intensione gradus remissus et intensus. Quando ergo carentia contrarietatis dicitur proprietas *ubi*, intelligendum est de priori et propriissima contrarietate, et ita est res clara, praesertim cum dictum sit omnia *ubi* quae naturaliter possunt afficere idem subiectum esse eiusdem speciei. At vero posterior contrarietas inter *ubi* reperitur, nam motus localis est propriissimus motus; omnis autem motus fit inter terminos positivos et contrarios, saltem illo modo, ut patet ex Aristotele, lib. V Phys., c. 2, text. 10; ergo terminus per se motus localis habet alium sibi contrarium; terminus autem primarius ac per se motus localis est ipsum *ubi*, ut supra ostensum est, et idem Aristoteles docet supra, c. 1; ergo *ubi* habet contrarium, saltem illo posteriori modo. Quae contrarietas in hoc solum consistit quod unum *ubi* formaliter repugnat alteri, et inter ea est quaedam latitudo spatii, in qua extrema *ubi* hanc habent oppositionem, quod dum ab uno receditur, ad aliud acceditur, et e converso. Qui modus oppositionis inveniri potest etiam inter ea quae sunt eiusdem speciei, ut ex dictis constat. Hic autem insinuabat quaestio an inter plura *ubi*, praesertim corporalia, tanta sit repugnantia, ut nec per potentiam Dei absolutam possint simul esse in eodem subiecto, quod est quaerere an omnino repugnet idem corpus esse simul in duobus locis; sed hanc quaestionem fuse tractavi in tomo III tertiae partis.